



HD WIDENER
HW RGFY C



De Atheniensium sociorum tributis quaestiones septem.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi


ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Rudolfus Dahms

Berolinensis.

Promotio solemnis habebitur die 29 mens. Octobr. anni 1904.



De dissertatione judicarunt
U. de Wilamowitz-Moellendorff
H. Diels.

Typis expressit E. Ebering, Berolini, Mittelstrasse 29.

Parentibus optimis.

I.

Atticos colonos tributa solvisse negatur.

Quinto a. Chr. n. saeculo coloni Attici aut sunt κληροῦχοι aut ἄποικοι aut ἔποικοι.[1]

Tit. J. G. A. I. suppl. p. 129 num. 116 v. ταῖς ἀποικίαις καὶ κληρουχίαις diserte distinguuntur apoeci a cleruchis. Et Hestiaeam quidem Thuc. VII. 57,2[2] et Eretriam C. J. A. I 339 et Amphipolim Thuc. IV. 102,1 V. 11 et Bream C. J. A. I 31 et Melum Thuc. V. 116 ἀποικίας deductas esse traditur. Cleruchiae autem in Mytilenaeorum agro anno 427 constitutae testis est Thucydides III. 50, cuius testimonium firmatur titulo J. G. A. I. suppl. p. 22 num. 96. Epoecos anno 431 Aeginam missos esse testatur Thucydides II. 27. VIII. 69,3, epoecos Potidaeam post hiemem 430/29 missos testantur et tit. C. J. A. I. 340 et Thucydides II 70. Neque casu factum est, quod coloni Lesbum missi neque a Thucydide neque in titulo ullo saec. V. apoeci aut epoeci fuisse sed cleruchi et a Thucydide et in titulis dicuntur, aut quod Potidaeam non apoecos aut cleruchos sed epoecos missos esse et hic et illic traditur, aut

---

1. Voemelius de discrimine vocabulorum κληροῦχος ἄποικος ἔποικος Francofurti ad Moenum anno 1839 titulos in hac quaestione adhibere nondum potuit. Neque Kirchhoffius die Tributpflichtigkeit der Attischen Kleruchen comment. philol. histor. academ. Berlin. p. I, sqq. sect. philos. hist. 1874 neque Foucartius mémoire sur les colonies Athéniennes au V ième et au IV ième siècle in mémoires présentés par divers savants à l'académie des inscriptions et belles lettres I 9 1878 p. 323 sqq. neque Belochius zur Finanzgeschichte Athens I die Bundessteuern mus. Rhenan. 39, 45 sqq. neque alii Atheniensium colonos saec. V. alios fuisse cleruchos alios apoecos alios epoecos docent.

2. de quo loco infra accuratius disputabitur.

quod Melum apoecos missos esse tradit Thucydides, Potidaeam et Aeginam epoecos deductos esse tradunt et titulus et Thucydides. Neque eo quod in ἀποικίαν Bream ἔποικοι quoque mittuntur, qui ἔποικοι milites sunt paeter alios colonos Bream deducti, prohibemur quominus aliam fuisse κληρουχίαν aliam ἀποικίαν alios ἐποίκους statuamus, neque eo quod haec Atheniensium colonorum saec. V. genera ubique fere confunduntur nisi in titulis saec. V. aut a Thucydide.

Colonorum Atticorum neque Scyrios Thuc. I. 98 neque Hestiaeenses neque Amphipolitas neque Breatas neque Atheniensium aliorumque Graecorum colonos Thurinos (Diodor. XII. 9—11) Atheniensibus tributa solvisse apparet e tributorum titulis sexagesimarum, quae Minervae arcis dicatae sunt. Unde plerosque certe Atheniensium colonos tributa non solvisse sequitur.[3]

Lemnii Imbriique saec. V. tributa solverunt sexagesimarum titulis testibus; hos tributa solventes Lemnios Imbriosque Atticos esse colonos ab his affirmatur, ab illis negatur.[4] Atheniensium omnes ante annos 480/79 in colonias deductos colonos tributa solvisse, post hos annos in colonias missos tributa non solvisse nunc docetur:[5] etiam quos tributa solvisse testantur sexagesimarum tituli, Sigeenses et Athenarum Neapolitas Atticos esse colonos.

I. Alcaeo poeta ipso teste (apud Herodotum V. 95, Strabonem XIII. 1,38 p. 300 C. = frg. 32 B[4]) Alcaei temporibus i. e. saeculo VII. exeunte aut saeculo VI. ineunte[6] Sigei habitant Attici coloni.

3. Concludit Kirchhoffius in illa commentatione über die Tributpflichtigkeit der Attischen Kleruchen.

4. Affirmat Boeckhius Staatshaushaltung der Athener I[3] 499—509 sexagesimarum titulorum tempora falsa statuens, negant Kirchhoffius l. c., Koehlerus Athen. Mitt. IV. 263, Wilamowitzius Demotika der Metoeken Hermae 22, 243 alii, affirmant Belochius mus. Rhen. 39, 46, E. Meyer Forsch. z. alt. Gesch. I 15, 1 alii.

5. a Meyero Gesch. d. Altert. IV. § 394 not.

6. Pisistratum Sigeum vi cepisse et Hegesistrato filio tradidisse, Hegesistrati belli cum Mytilenaeis gesti testem esse Alcaeum poetam, Periandrum Corinthium pacem inter Athenienses et Mytilenaeos conciliasse narrat

Bellum Sigeense inter Athenienses et Mytilenaeos ortum finitur Periandri iudicio (Herod. l. c. Aristot. Rhetor. A 15 p. 1375 b 30. Strab. l. c. p. 599 C.). Unde Athenienses saec. VII. exeunte Sigeum occupasse sequitur: cf. Strab. l. c. Laert. Diog. I. 74. Euseb. I p. 200 Sch. Posterioribus temporibus Pisistratus tradit Sigeum Hegesistrato filio Herod. V. 94. Fiunt deinde Pisistratidae Sigei habitantes Persarum clientes: Herod. V. 94. VI. 107 sqq.

Colonos Atticos Sigeenses si in bello Jonico Jonum fuisse socios statuis, a Persis cum Ionum tum Atheniensium tunc inimicissimis interfectos aut expulsos esse, aut si Sigeenses a Pisistratidis permotos etiam per Ionici belli annos Persis fideles fuisse statuis, ab Atheniensibus ipsis ut Pisistratidarum amicissimos post annum 479 expulsos esse statuendum est.

Contra post annum 479 Athenienses iterum colonos Sigeum deduxisse vix statui potest: iam Sestus est Atheniensium, iam Mytilenaei Lampsacenique Atheniensium sunt amici sociique, quos

---

Herodotus V 94. 95. Haec omnia urguet et defendit Belochius mus. Rhen. 45, 465 sqq. 50, 255 sqq. Interpretemur ut vult Belochius, Herodotum solo e Herodoto. Et I 20 et V 92 Periandrum Corinthium aequalem fuisse Thrasybuli tyranni Milesiorum tradit Herodotus. Qui Thrasybulus Herodoto teste I 20 sqq regnavit, quo tempore Alyattes Lydorum rex bellum gessit cum Milesiis primis sex annis Alyattis regis I 18, i. e. nullo modo post annum 600 a. C.: I. 25. 86. (Alyattis aequalem Periandrum fuisse Herodotus etiam III. 48 sqq. testatur). — Hippiam anno 490 in Attica Persis ducem fuisse narrat Herodotus VI. 107 sqq; unde non ante annum 550 Pisistratum Hippiae fratri Hegesistrato Sigeum tradidisse sequitur. — Si vis perpaucis annis ante annum 600 Periandrum, cuius pater triginta annos regnavit Herod. V, 92, regnum iniisse, perpaucis annis post annum 550 eundem Periandrum pacem Atheniensium et Mytilenaeorum composuisse statimque fere post mortuum esse e Herodoto statuas. Verum hoc est: Herodoti omnia praeter V 94/95 de Periandro testimonia (I. 20. III. 48 sqq. V. 92) illud Periandri iudicium Hegesistrati temporum fuisse Herodoto nos credere vetant, Herodotus se ipse refutat. Ergo verum est quod et Herodotus et posteriores (Diog. Laert. I. 95. 98. Aristot. polit. p. 1315 b. 22 sqq. Diog. Laert. I. 4, 79. Arist. pol. III. 14 p. 1285 a 37 sqq. Euseb. II. 92 Sch.) Periandrum Pittacum Alcaeum exeunte saec. VII. ineunte saec. VI. vixisse statuunt. v. e. gr. Meyerum Gesch. d. Altert. II. § 402 not. §§ 398 393.

Sigeum iterum occupando offendere quid attinet. Neque ullum est vestigium Atheniensium post annum 479 Sigei coloniae.

Minima tantum tributa solvunt quotannis Sigeenses sexagesimarum titulis testibus: ergo aut his temporibus Sigeum est oppidulum miserrimum neque his temporibus tale oppidulum coloniam fuisse populi Atheniensium statui potest, aut Sigeum non nimis parvum est oppidum, est Atheniensium colonia, sed ei qui minimum tributum solvunt incolae Sigei, non sunt cives Athenienses, non coloni Attici sed μέτοικοι colonorum: nam cives Athenienses Sigei habitantes tributum quidem solvisse, sed multo minus pecuniae quam socios ideo dedisse, quod fuerint Athenienses, statui non potest. Quibus de causis Sigeenses qui solverint tributa sexagesimarum titulis testibus, colonos fuisse Atticos nostro iure negamus.

II. Salamis Atheniensibus colonia addicitur iudicio quinque Spartiatarum Plutarch. Solon. 10 certe ante Comeam archontem 561/60[7] (Herod. I. 59, Aristot. Ath. pol. 17,2. 14,1.)[8]

Salaminem iam saeculo VI. Athenienses colonos deduxisse docet inprimis illud populi Atheniensium decretum J. G. A. I. suppl. p. 57 num. 1a, p. 164, (nunc legendum Athen. Mitteil. 23,

---

7. Comeam archontem fuisse anno 561/60 ex Arist. Ath. pol. 19,6 cl. Polit. p. 1315b. 29sqq. sequitur, cum Solonem anno 594/93 archontis munere functum esse constet per Sosicratem Laert. Diog. I. 62; Athen. pol. 14,1 pro δευτέρῳ δ'(τετάρτῳ) scribendum esse apparet; Eusebii et Suidae hic sunt mittendi. Wilamowitzius, Arist. u. Athen I. 21sqq.

8. Pisistratus Salaminem non expugnavit Herod. I. 59: iam ante tyrannidem occupatam Pisistratum Atheniensium in bello Megarensi ducem Nisaeam expugnasse aliisque factis excellentem fuisse tradit Herodotus, qui Salaminem expugnatam verbis Νίσαιάν τε ἑλὼν καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα nullo modo significat. Aeneae autem tactici (IV. 8—11) de Salamine a Pisistrato capta narratio — Frontinus II. 9,9 Gd. et Justinus II. 8, 1—6 hic sunt mittendi, — nullius fere est pretii; nam quominus Aeneae fidem habeamus, obstant et Herodotus et Aristoteles Ath. pol. 17, 2, qui Pisistratum Salaminem occupasse diserte negat. Neque Solon Salaminem expugnavit; quod Solon insulam expugnasse dicitur, falso e Solonis elegea αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον belli Salaminii tempore facta sumptum esse apparet e Plutarchi Solonis 8—10, ut omittam Aelianum v. h. VII. 19 et Polyaenum I. 20, 2. — Quae Pausanias I.

1898, 466 sqq. tab. X. 2.)[9] Utrum κληρουχία an ἀποικία Salamis saec. V. fuerit nescimus; schol. Pind. Nem. III. 19 premere non licet; saec. IV. est cleruchia: C. J. A. II. 14 e. gr.

Non solvunt tributa Salaminii coloni sexagesimarum titulis testibus; ante annum 480/79 Salamine Atheniensium colonia est constituta.

III. Post Comeam archontem 561/60 ante Sardes a Cyro captas (546/45)[10] Herod. VI. 37 temporibus Pisistrati aut primae aut secundae tyrannidis[11] (Herod. VI. 35. Aristot. Ath. pol. 14,15)

40,5 narrat, Megarensium sunt ineptiae. v. Niesium hist. Untersuch. f. A. Schaefer, p. 21 sqq. Toepfferum in quaestionibus Pisistrat. diss. Dorpat 1886, Wilamowitzium Arist. u. Athen I. 267. cf. Belochium Gr. Gesch. I 327 not. Meyerum Gesch. d. Altert. II § 403, 413, Busoltium Gr. Gesch. II 217, 2.

9. Iudeichius Athen. Mitt. 24, 1899, 321 sqq quod verbotenus decretum restituere vult, nimis magna sibi proposuit sicut antea iam Koehlerus Gomperzius Lollingius Lipsius. De Salamine decretum utrum antiquius an recentius sit titulo J. G. A. I. suppl. p. 41 num. 373e (hic quoque titulus nunc est legendus apud Wilhelmum Athen. Mitt. 23 tab. X. 1.) non constat.

10. Sardes a Cyro Ol. 58, 3 (546/45) captas esse statuit Apollodorus: Laert. Diog. I. 38, (Thales Ol. 39, 1 natus mortuus est 78 annos natus Ol. 58 Apollodoro teste γεγονὼς κατὰ Κροῖσον, ΔΕ e ΔΘ emendavit Dielsius Chronol. Unters. über Apollodors Chronik mus. Rhen. 31, 1876, p. 15, cf. Jacoby, Apollodors Chronik p. 178 sqq. 178 not. 6.,) Laert. Diog. I. 95 (Periander mortuus est 40 annis ante Croesum Ol. 48, 3 Sosicrate teste: distinguit Dielsius p. 19 sqq.) cl. Euseb. II. 96. 97 Sch. exc. barb. p. 44b. (Euseb. I. append. p. 220 Sch.) Pausan. X 5, 13 cum Herod. I. 90 coniungere non licere apparet: v. Meyerum Gesch. d. Altert. I § 413. Neque inde quod Clemens Alex. I. 117 p. 389 P. Gygen Ol. 18 regnum suscepisse testatur Euphorion, Clem. Alex. I 131 p. 398 P. Gygem Ol. 15 regnum occupasse testis est Dionysius, ut Gygem Ol. 18 rerum esse potitum Xanthum Lydum auctorem fuisse cl. Clem. Alex. I. 131 concedamus, sequitur quando Dionysius aut Euphorion aut Xanthus Sardes a Cyro captas statuerint. Neque quando Cyrus Sardes ceperit marmore Pario teste ep. 35. 41 inde concludi potest, quod 341 annis ut videtur numero suppleto ante Diognetum archontem Alyattem regem esse factum aut 292 annis ante Diognetum archontem Croesum Delphos legatos misisse (non traditur Croesum hoc anno Alyatti successisse) docet marmor Parium. Ergo errant de his Busoltius Gr. G. II.[2] 460, not. Jacoby marmor. Par. p. 171.

11. Isagoras Aristot. Ath. pol. 21, 1 archon fuit anno 508/7 cl. Dionysio Hal. hist. Rom. I 74, quarto anno ante Ath. pol. 21, 1 Harpactide archonte

Miltiades Cypseli filius tyrannus fit Chersonitarum Thraciorum Herod. VI. 34—41. Colonos Atticos secum ducit Herodoto teste. Et sunt Atheniensium coloniae a Miltiade conditae in Chersoneso

---

Hippias Athenis expulsus est i. e. 511/10, quarto anno ante Hippiam expulsum (Ath. pol. 19,2) Hipparchus necatus est i. e. 514/13, Panathenaeis (Herod. V. 56, Thuc. VI. 56, Arist. Ath. pol. 18,2) i. e. anno 514. Philoneum anno 528/27 archontis munere functum esse apparet ex Athen. pol. 17,1, 19,6 cl. Polit. p. 1315b. 29 sqq. Et pugnatum est ad Pallenidis templum anno fere 540: Ath. pol. 14, 15, 17,1: 14,4 numerum corruptum *πέμπτῳ* fere emendandum esse sequitur e 17,1, 15,2 Her. I. 62; 15,1 numerum corruptum — *ἔτει μάλιστα ἑβδόμῳ . . . οὐ γὰρ πολὺν χρόνον*, cum antecedant prima tyrannis quinque annorum et primum exilium quattuor fere annorum, — *τρίτῳ* fere corrigendum esse elucet; neque — de quibus errant Pomtowius mus. Rhen. 51, 561 sqq, Meyer, Forsch. z. alt. Gesch. II. 244, 248 — 15,1 *μηνὶ* pro *ἔτει* est scribendum, et quod falsissimum est numerum non corrigere, cum in paragrapho antecedente numerum corruptum invenerimus numerique facile et persaepe et in Aristot. Ath. pol. et in aliorum scriptorum scriptis corrupti sint, et quod numeros 14,4, 15,1 errore consulto esse mutatos apparet: 5 (Ath. pol. 14,3) + 11 (14,4) + 6 (15,1) + 10 (15,2) = 32 : cf. 17,1. Probat haec omnia ut pro certis sint habenda Wilamowitzius Arist. und Athen I 21 sqq. — Belochius mus. Rhen. 45, 469 sqq. et Meyerus Forsch. z. alt. Gesch. II. 245 sqq. Pisistratum bis Athenis expulsum esse negant: semel expulsum esse, semel rediisse tyrannum victoria ad Pallenidis templum reportata. Contra haec dicenda sunt: Quod Herodotus V. 65 Pisistratidas triginta sex annos regnasse tradit huncque locum, cum de Pisistrato memorat, coniungit cum loco I 59 sqq, (v. Meyerum p. 246), ubi accuratissime Pisistratum ter tyrannum factum bis expulsum esse narrat, quomodo anni Pisistrati primae et secundae tyrannidis in illis triginta sex annis non inesse possunt? et notissima erant exilia et reditus Pisistrati Atheniensibus belli Peloponnesiaci temporum, quos lectores inprimis voluit Herodotus. Aristotelem certos annos exiliorum et tyrannidarum exhibuisse apparet: Ath. pol. 17,1, 14,15. Cur hos annos fictos esse statuamus? Quod cum Herodoti narratione optime congruunt? Etiam *Ἀριστίωνος γράψαντος τὴν γνώμην* Ath. pol. 14,1, Pisistratum Raeceli habitasse 15,2 alia, ficta esse statuere estne necesse? Et Herodotum interpretemur: I 61 iterum vult expellere Megacles Pisistratum: *καταλλάσετο τὴν ἔχθρην τοῖσι στασιώτῃσι*. Quibus *στασιώταις*? Lycurgi *στασιώταις*? Postquam Pisistratum primum expulsum esse narratum est, (*οὕτω μὲν Πεισίστρατος ἔσχε τὸ πρῶτον Ἀθήνας καὶ τὴν τυραννίδα οὔκω κάρτα ἐρριζομένην ἔχων ἀπέβαλε*) neque Lycurgus usquam nominatur a Herodoto, neque tres partes civium; nova pars narrationis incipit, novatae sunt res Atheniensium. Si solum locum 61 interpretamur, *τοὺς στασιώτας* 61

Crithote Cardia Pactye Ephoro teste (apud Harpocrat. s. v. Κϱιθώτη = Ephor. frg. 72 M. et apud [Scymnum] 698—702, 711/12). Neque dubitari potest quin Νεάπολις ἀπ' Ἀθηνῶν (C. J. A. I. 230, 238, 240 = Νεάπολις παϱὰ Χεϱϱόνησον C. J. A. I. 37 frg. Z) sit Atheniensium colonia saec. VI. condita.[12]

Neque Cardiani neque Crithotaei neque Pactyenses tributa solvunt sexagesimarum titulis testibus. Neapolitas tributa solventes colonos fuisse estne statuendum?

Anno 493[13] Persae Chersonesi oppida omnia praeter Cardiam occupant agrosque depopulantur Herod. VI. 33. — quin Cardia

---

Megaclis esse στασιώτας apparet (cf. 60 οἱ τοῦ Μεγακλέους στασιῶται); si essent οἱ στασιῶται 61 Lycurgi στασιῶται, οἱ στασιῶται hic idem fere significaret quod οἱ ἐναντίοι, id quod falsum esse elucet. Quae cum ita sint, Megaclis στασιώτας 61 significari firmat Megacles τῇ στάσι (non τοῖς τοῦ Λυκούργου στασιώταις) περιελαυνόμενος 60. Ergo sic fere Herodotus est interpretandus: tres sunt Atheniensium partes, potentissimus dux est Alcmeonides Megacles, quem primum superat Pisistratus, quod tres sunt partes civium. Nunc foedus ineunt Magacles et Lycurgus: Pisistratus expellitur. Ab hoc tempore Lycurgus in umbram recedit, Megacles est dominus. Sed αὖτις ἐκ νέης ἐπ' ἀλλήλοισι ἐστασίασαν: (quo loco amputat narrationem Herodotus sicut 61 οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν,) Megacles rixatus cum suis amicis i. e. Paralis et Pediacis coniunctis Pisistrato filiam uxorem dat, Pisistratus redit. Tum Megacles graviter a Pisistrato laesus redit in gratiam cum Paralis Pediacisque: fugit Pisistratus priusquam iterum expellatur: (φοβηθεὶς ἀμφοτέρας τὰς στάτεις exhibet Aristoteles male interpretatus narrationem Herodoti 60 amputatam) tam praepotens est Megacles. Itaque alterum exilium fit decem annorum, tum pugna est dimicandum Pisistrato.

12. Busoltius Griech. Gesch. II.[2] 316,5 affert Harpocrationis et [Scymni] locos. Neapolim coloniam annis 480/79 recentiorem fuisse statui non potest, quod coloni saec. V. Athenis emissi tributa non solverunt.

13. Anno post Miletum expugnatam (Herod. VI. 31) Persae Chium Lesbum Tenedum Hellespontia oppida capiunt Herod. VI. 31—33. Anno post (42. 43) Mardonius ad Macedoniae fines profectus infecta re in Asiam redit. 42—45. Anno post (46) Thasi moenia diruuntur, Dareus in Graeciam legatos mittit, populos suos maritimos naves armare iubet, (46—48), sequente anno (VI. 95, cl. 48; huius capitis (95) posterius τῷ προτέρῳ ἔτει propter prius τῷ προτέρῳ ἔτει corruptum esse apparet;) Datidis et Artaphernis in Graeciam fit expeditio: 94—119. Pugnatur ad Marathonem ἐπὶ Φαινίππου ἄρχοντος testibus Aristot. Ath. pol. 22, aliis. Est Phaenippus archon Ol. 72,3.

quoque paullo post Persarum sit facta, non potest dubitari: Her. VII. 58, — neque Persas Atheniensium colonis pepercisse traditur, cum Athenienses una cum Ionibus Sardes incendissent, cum Miltiades Cimonis filius Chersonitarum tyrannus, quod belli Ionici temporibus Persis Lemnum et Imbrum eripuisset,[14] iam Persas profugisset. Certe annis 493—79 nulli sunt Atheniensium coloni in Chersoneso Thracica.

Deinde hieme 479/78 Athenienses sociique Sestum expugnant, attamen usque ad Thasii belli tempora Persae sunt in Chersoneso: C. J. A. I. 432 cl. Plutarch. Cimon. 14: ad Cardiam et Sigeum tunc dimicatur[15].

Fortasse non ante Periclis tempora (Plut. Pericl. 19. 11. Diod. XI. 88; Andoc. III. 9) novi Atheniensium coloni in Chersonesum deducti sunt; anno 447/46 Athenienses colonos in Chersonesum misisse constat tit. C. J. A. I. 233.

Sunt plures *Νεαπόλεις* in imperio Attico: potest anno V. Hellenotamiarum[16] (C. J. A. I 230) Hellespontia Neapolis a ceteris

---

(490/89): Thuc. VI. 59 cl. Dionys. Hal. hist. Rom. VI. 48. VII. 1. Est Salaminia pugna, (sunt *τὰ Μηδικὰ*) Calliade archonte marm. Par. 67 aliis test. Est Calliades archon Ol. 75,1 (480/79) Dionys. Hal. IX. 1; fit Salaminia. pugna Olympiorum anno (Herod. VIII. 26), ergo fit anno 480; ergo Thuc. I 18 cl. VI. 59 Marathonia pugna est anni 490. Miletum captam esse anno 494, Lesbum Chium Chersonesum vastatas esse, Miltiadem Persas fugisse anno 493, Mardonium iter suscepisse anno 492, Dareum in Graeciam legatos misisse anno 491, Aristagoram a Persis defecisse anno 499 (Herod. VI. 18) sequitur. v. Meyerum Gesch. d. Altert. III. § 174 not.

14. cf. quae infra disputabuntur.

15. v. Koehlerum zur Geschichte der Pentekontaetie Hermae 24, 1889, p. 85 sqq. C. J. A. I 432 A 25 [*Μαδ*]*ύτιοι*
[*ἐνΚαρ*]*δίαι* est supplendum, supplet Koehler.
A 32 lapicidae errore [*E*]*ΓI ΣΙΔΕΙΟΙ* pro *EΓI ΣΙΛΕΙΟΙ* exhibetur.
c 20,21 *Βυζά*]*ντιοι*
ἐπὶ Σιγ]*είῳ* est supplendum, supplet Koehler.

16. Hellenotamiarum (non logistarum) anni numerantur in sexagesimarum titulis: C. J. A. I. 310, 308, 309. Probavit J. Christ de publicis populi Atheniensis rationibus diss. Gryph. 1879 p. 34. cf. Meyerum Forsch. z. alt. Gesch. II. 83, 1. 2. Suspicatus erat ante Christium Loeschkius de titulis aliquot Atticis p. 5,2.

distingui aut epitheto ἀπ' Ἀθηνῶν aut epitheto παρὰ Χερρόνησον. Sunt Neapolitae Chersonesi Atheniensium amici sociique, est Neapolitarum oppidum olim ab Atheniensibus conditum. Quid prohibet quominus huius oppidi Νεαπόλεως ἀπ' Ἀθηνῶν (non Νεαπόλεως Ἀθηναίων) incolas anno Hellenotamiarum V. posterioribusque annis iam non fuisse Athenienses neque Atheniensium liberos nepotesque statuamus.

IV. Atheniensium coloni anno fere 508/7 in Chalcidis Hippobotarum agros deducti (Herod. V. 77. VI. 100.)[17] non redierunt Chalcidem anno 490 post Marathoniam pugnam: nusquam a Herodoto in libris VII.—IX. (annis 480/79) nominantur; contra tunc Chalcidenses Atheniensium sunt socii: Herod. VIII. 1. 46. Persarum Aeginetarumque belli metu Athenienses colonos Chalcidem non reduxisse, ut Chalcidenses sibi conciliarent, veri est simile. E tributorum sexagesimarum titulis[18] non ante annum 445 Athenienses Chalcidem iterum colonos deduxisse apparet.

V. Post Pisistrati mortem (528/27) moritur Cimon Stesagorae filius vix ante annum 524, cum (hoc anno) Pisistrato iam mortuo Cimonem tertium Olympia vicisse veri simile fiat e Herodoti narratione. Fratris Cimonis Stesagorae filii superstes fit Miltiades Cypseli filius. Herod. VI. 103/4. Cui Miltiadi Cypseli filio succedit in Chersoneso Stesagoras Cimonis filius, cui succedit frater Miltiades Cimonis filius. Herod. VI. 38. 39. Qui Miltiades Cimonis filius anno Darei Scythici belli ante annum 510 suscepti iam Chersonitarum est tyrannus: Herod. IV. 137/38. VI. 34.

---

17. Quae apud Aelianum v. h. VI. 1. narrantur, congruunt cum Herodoti narratione, partim Aeliani locus verbotenus ex Herodoto sumptus est. Quod apud Aelianum duo milia colonorum pro quattuor milibus apud Herodotum colonorum exhibentur, correxit nescioquis consulto Herodotum. (Est numerus colonorum a Herodoto traditus maior quam qui fide dignus sit.) Ergo falso refert Aeliani locum ad coloniam saec. quinto Chalcidem ductam Swoboda (in sertis Hartelianis 1898 zur Geschichte der Attischen Kleruchieen), quem Meyerus Gesch. d. Altert. sequitur. Anno 490 colonos Atticos Chalcidem rediisse suo iure negat Swoboda.

18. Vide inprimis Koehlerus quae publici iuris facit sexagesimarum tituli fragmenta Hermae 31, 137 sqq.

Miltiadem Cimonis filium multis annis ante bellum Scythicum fratri successisse et deinde ante bellum Scythicum Lemno esse potitum vix statui posse iam apparet.

Brevi tempore post Darei expeditionem Scythicam Otanes Lemnum et Imbrum expugnat tyrannumque praeficit Lycaretum Samium barbaris qui supersunt de harum insularum veteribus incolis, quos Pelasgos nominat Herodotus, Tyrrhenos fuisse inprimis Thucydides (IV. 109, 4) docet. Herod. V. 26. 27. Tunc Jones, qui tunc Persis fidelissimi tunc ipsum fidem ad Istrum praestiterant, (cf. inprimis Herod. V. 105) aliosque Graecos Persarum auspiciis Lemnum Imbrumque immigrasse statuendum est: anno 480 Lemnii Graeci fuisse dicuntur Herod. VIII. 11. Per Megabyzum et Otanem post bellum Scythicum Persae domini fiunt Thraciae Herod. V. 1 sqq. Iam belli Scythici tempore Miltades Cimonis filius fidelis est servus Persarum regis: Miltiadem Jones pontem Istri rumpere iussisse (Herod. IV. 137. VI. 34) a Philaidis est fictum, ut Miltiades facilius absolveretur Athenis tyrannidis crimine accusatus: si Miltiades Jones in Scythico bello tale facere iussisset, iam tunc non viginti fere annis post Persas fugisset;[20] ante annum 499 Miltiades ne potuisset quidem contra Persas rebellare, si voluisset.

Quibus de causis Miltiadem Cimonis filium Lemnum belli Jonici annis (499/94) occupasse statuendum est, Herod. VI. 140, et certe ante annum 495, quo anno a Scythis e Chersoneso expulsus a Doloncis reductus est: Herod. VI. 40.[21] Miltiadem

---

19. Quod J. G. Sic. Ital. 1297 eodem anno, quo Hipparchus necatus est 514, Dareum iter Sythicum suscepisse narratur, per se parvi est momenti. Anno 508/7 quo Athenienses Sardes legatos mittunt, (Arist. Ath. pol. 20; 21,1: Herod. V. 73) iam Artaphernes Sardibus est satrapa; Dareus Sardibus Susa profecturus Artaphernem satrapam crearat et per haud breve tempus post bellum Scythicum Dareus Sardibus moratus erat, quo tempore Histiaeus Myrcinum iam occuparat Herod. V. 23, Megabyzus Thraciam Dareo subiecerat. Unde Scythica expeditio aliquot annis ante annum 510 suscepta esse statuenda est. v. Meyerum Gesch. d. Altert. III. § 70.

20. Cognovit Meyerus Geschichte des Altertums III. § 70.

21. Quin hoc capite νεωστί ad annum 493 sit referendum, dubitari non potest. Initio capitis τῶν καταλαβόντων πρηγμάτων (non κατεχόντων πρηγμάτων)

Tyrrhenos Lemno expulisse traditur, id quod eo facilius factum esse statui potest, quod plerosque Tyrrhenos iam ab Otane Lycaretoque necatos esse tradit Herodotus V. 27. Neque spatium annorum 499—94 brevius est quam spatium annorum, quibus ante bellum Scythicum Darei Miltiadem in Chersoneso regnasse statuendum est.

Et quomodo Miltiadem Cypseli filium iam Lemnum occupasse hancque gloriam Cimonis filium immerito apud Herodotum nanctum esse statui potest?

Accuratissime de Philaidis doctus est Herodotus: VI. 34—41. 103—104: Herodoti de his auctorem Philaidarum res gestas optime novisse apparet. Quin huic Herodoti auctori ignotum non fuerit, utrum Cypseli an Cimonis filius Lemnum occupaverit, dubitari non potest. Et debetur huic Herodoti auctori id quoque, quod Miltiadem Cimonis filium Lemnum occupasse narrat Herodotus VI. 140. Sane in eis quae VI. 137—140 narrantur, insunt fabulae Atheniensium vulgatae: sed Miltiadem Elaeunte Lemnum navigasse, Hephaestios Miltiadi non restitisse Myrinaeos restitisse talia vix tradit sermo vulgaris:[22] itaque si Herodotum in aliis optimum de Philaidis instructum Atheniensem nescioquem auctorem sequi constat, haec quoque huic auctori deberi est statuendum. Accedunt, et quod Miltiades anno 493 e Chersoneso Imbrum fugit, ita ut Imbrum tunc non Persarum fuisse verisimile fiat, id quod facilius statui potest, si primum ab Otane deinde a Miltiade quam si primum a Miltiade sive Cypseli sive Cimonis filio deinde ab Otane deinde a Miltiade Cimonis filio occupatae sunt Lemnus et Imbrus, et quod eis quae Herodotus de Philaidis narrat, nihil addit Thucydides Philaidarum ipse propinquus[23], qui tale de Lemni

traditur. Verbis *τρίτῳ ἔτει τούτων* idem tempus atque verbis *ταῦτα μὲν δὴ τρίτῳ ἔτει πρότερον ἐγεγόνεε τῶν τότε μιν κατεχόντων* significari probatur illo *δὴ*; ergo priore loco *τρίτῳ ἔτει [πρὸ] τούτων* est scribendum: supplevit Steinius. Valde errant de his, ut apparet, Herstius, philolog. 49, 145, et qui eum sequitur Busoltius Griech. Gech. II.[2] 531,2.

22. cf. Meyerum Forsch. z. alt. Gesch. I. p. 18,1.

23. Olorus Thracum rex pater est Miltiadis Cimonis filii uxoris Thraciae Hegesipylae: Herod. VI. 39: Olorum quendam fuisse Thucydidis patrem

expugnatione fictum et explorasset et detexisset, ut veri est simile.

Et cur Miltiades Cimonis filius anno 493 fugit Persas? Quod sicut res publica quoque Atheniensium Jonum socius fuerat in bello Jonico: sic statuere licet. Et quomodo bellum cum Persis gesserat? Persas e Lemno et Imbro depulerat et Atheniensibus insulas tradiderat.

Mytilenaeorum tyrannus Coes Mytilenaeus Persarum cliens (Herod. V. 11) iam primo anno belli Jonici a Mytilenaeis necatur: Herod. V. 37, 38. Desciscit ergo iam tunc insularum certe Lesbus a Persis. Deinde etiam Athenienses bellum Persis inferunt: V. 97 sqq. Tunc ante pugnam Ephesiacam (Herod. V. 102) Miltiadem Lemnum occupasse verisimile est, aut brevi post, tempore quo Hellespontiae Caricae Cypricae civitates fiunt Jonum: Herod. V. 103 sqq.[24]

Haec, quod non traduntur, premere nolumus; sed non contraria sunt eis, quae et traduntur et fide sunt digna.

Persae anno 493 Mileto in Hellespontum navigant: in itinere Chius Lesbus Tenedus (non Lemnus) sitae sunt: itaque hae insulae primae devastantur, deinde Chersonesus Thraciaque ad Propontidem sita oppida.

Anno 480 Lemnii Xerxem in Graeciam sequuntur. Herod. VIII. 11. 82. Cum etiam Thasus anno 492 facta esset Persarum, (Herod. VI. 44; cf. 46—48), Lemnus et Imbrus anno 493 exeunte aut per Mardonium anno 492 iterum Persarum factae esse sunt statuendae. Neque quin tunc Atheniensium Persis inimicissimorum coloni, si qui erant a Miltiade Lemnum et Imbrum deducti,[25] aut

---

docere titulum sepulcralem, prope Cimonis et Elpinicae sepulcra Olori Thucydidis patris Thucydidis Olori filii Timothei Thucydidis filii sepulcra fuisse Polemo est auctor: v. Marcellini Thucydidis vitam, (e *ΗΡΟΔΟΤΟΥ ΟΛΩΡΟΥ* emendavit Sauppius,) cf. schol. Pind. Nem 2, 19, Plutarch. Cimon. 4: v. Wilamowitzium Thucydideslegende Hermae 12.

24. v. Busoltium Griech. Gesch. II.[2] 531,2.

25. Id quod non traditur. neque eos a Miltiade privatim deductos esse statui potest, nam Atheniensium rei publicae Miltiadem insulas tradidisse narratur.

necati sint a Persis aut de insulis depulsi, dubitari potest, id quod de Atheniensium colonis quoque Chersonesiis statuendum erat.

Neque Athenienses iam anno 478/77, iterum si statuis, Lemnum et Imbrum colonos misisse certum est: Antidoro Lemnio non Lemni sed Salamine agrum donant: Herod. VIII. 11. Certe Periclis temporibus Attici coloni Lemnum mittuntur anno 451/50 aut brevi post sexagesimarum titulis testibus.

Et per colonos Atticos non ante annum 478/77 Lemnum et Imbrum missos id efficitur, quod tradit Thucydides VII. 57, 2: Siciliensis belli temporibus Atheniensium dialecto utuntur et mores Atheniensium imitantur omnes Lemnii Imbriique. Id quod non miramur: sunt in insulis Lemno et Imbro Tyrrhenorum barbarorum reliquiae, id quod statuere non vetamur Herod. VI. 140; Thuc. IV. 109,4.[26] Quos *γλῶσσάν τε τὴν Ἀττικὴν καὶ τρόπους τοὺς Ἀθηναίων ἐδίδασκον* (Herod. VI. 138) coloni Attici, ut illae Braurone raptae mulieres Atticae docuisse dicuntur liberos suos Pelasgis patribus natos. Sunt in insulis Graeci, quorum patres avique olim Otanis temporibus Lemnum Imbrumque deducti erant, qui per quinquaginta fere tantum annos habitant in insulis, multa passi sunt per tres insularum occupationes (Miltiadis Persarum post bellum Jonicum Atheniensium post Medica), non sunt divites ut Thasii Naxii Andrii Parii sexagesimarum titulis testibus, ut taceamus de Lesbiis Chiis Samiis, tempora quibus barbari Lemni Imbrique regnarant, non sunt nimis perantiqua; contra Athenienses illis decem post Medica lustris praepotentissimi sunt omnium.

Neque enim praeter colonos Atticos Lemni et Imbri saeculo quinto exstitisse civitates Atheniensium socias negare iubemur loco Thuc. VII. 57,2: nam illud *ἄποικοι ὄντες* Thuc. VII. 57,2 ad Histiaeos tantum referendum est, et quod illud posterius *ἔτι* („praeterea“) secernit Histiaeos a ceteris, et quod Aeginetae Atheniensium sunt *ἔποικοι*, et quod *ἄποικοι ὄντες* non ponitur post *ἔτι χρώμενοι* sed post *Ἑστίαιαν οἰκοῦντες*.[27] Tales Atheniensium socias civitates, quarum cives iam dialecto Attica utuntur Thuc. V. 57,2, exeunte quoque

---

26. v. Meyerum Forsch. z. alt. Gesch. I. 23.

saeculo quinto Lemni et Imbri exstitisse statuere iubemur, et quod Lemnii Imbriique tributa solventes exhibentur sexagesimarum titulis, et quod minuuntur haec tributa certo quodam anno neque ulla alia de causa haec tributa minuta esse statui potest, nisi quod Atheniensium coloniae in insulas sint deductae, et quod Atticos colonos, si qui sunt a Miltiade in insulas deducti, brevi post a Persis expulsos esse statuendum est. Habitant sicut Andri Naxi (Plut. Pericl. 11) Chalcide Eretriae etiam Lemni et Imbri et Attici coloni et alii incolae sexagesimarum titulis testibus. —

Ut ea quae traduntur, secernamus ab eis quae supplere necesse est: nusquam traditur Lemnum ante annum 478/77 Atticos colonos esse deductos; ex eis quae traduntur, Miltiadem Lemnum belli Jonici temporibus expugnasse non statui non potest;[28] ut colonos Atticos a Miltiade Lemnum deductos esse statuendum sit, hanc Atheniensium coloniam a Persis deletam esse statuendum est. Nusquam Lemni Imbrique saeculo quinto praeter Atheniensium colonias civitates non Atticas exstitisse traditur; quas civitates exstitisse Lemni Imbrique exeunte quoque saeculo quinto statuere vetamur nullo scriptorum loco, iubemur sexagesimarum titulis. — —

Tria genera Atheniensium colonorum saeculo quinto exstitisse traditur *κληρούχους ἀποίκους ἐποίκους*; duo genera colonorum exstitisse colonos ante annos 480/79 emissos et colonos post hos annos in colonias ductos non traditur, (ut alia quae de coloniarum generibus statuuntur, mittamus.) Neque ullo modo hoc statui potest; imo omnes praeter Salaminem Atheniensium colonias

---

27. Falso verba *Ἑστίαιαν οἰκοῦντες* delentur; non *Ἑστιαιῆς οἱ ἐν Εὐβοίᾳ* Atheniensium sunt *ἄποικοι*, sed *Ἑστιαιῆς οἱ ἐν Εὐβοίᾳ* (scil. *τότε*) *Ἑστίαιαν οἰκοῦντες*.

28. Primum Miltiadem fortasse Cypseli filium (Cimonis filium fuisse narrat Herodotus), deinde Otanem Lemnum occupasse statuit Meyerus l. c. Meyerum hoc recte statuere iudicat Wilamowitzius Aristot. und Athen II. 73,4.

post annos 480/78 conditas aut denuo conditas esse statuendum est ex eis, quae traduntur. Et veteres Atheniensium colonos (ante Medica in colonias deductos) tributa solvisse, cum coloni nuper (post Medica) in colonias Athenis missi tributa non solvissent, quomodo statui potest? Quomodo haec passi essent et coloni ipsi et populus Atheniensium? Neque Lemni Imbrique neque in Chersoneso neque Sigei talia facta sunt.[29]

Solvunt coloni vectigalia, anno fere 406 etiam vicesimas Aristoph. ran. v. 363[30] teste, non tributa.[31] Et ut Potideatae (*ΓΟ* tantum litterae servatae sunt,) J. G. A. I. suppl. num. 37 p. 140 tributum solvere iubeantur, sunt hi Potideatae tributa solventes metoeci nescioqui Potidaeae habitantes, non Attici *ἔποικοι* post hiemem 430/29 (ante annum 425/24, ut titulus docet,) Potidaeam missi Thuc. II. 70. C. J. A. I. 340.

---

29. Talia facta esse statuunt Belochius mus. Rhen. 39,45 sqq. Meyerus Forsch. z. alt. Gesch. I. Die Pelasger in Athen und Lemnos. p. 13. sqq.

30. De quo versu infra (cap. VII.) accuratius, disputabitur.

31. v. Belochium mus. Rhen. 39,46 sqq.

II.

De quinque milibus talentorum anno 450/49 Delo Athenas translatis.

Anonymus Argentinensis 2 a (ed. Keil) exhibet haec:

ὅτ[ι

. . . . . ἐπ' Εὐ]θυδήμου Περικλέους γνώμ[ην

. . . . τὰ ἐν Δή(λ)[1]ῳ ἀποκείμενα τάλα[ντα

. . . . . . πεντακισχείλια κατὰ τὴν Ἀριστ[ίδου

. . . . ειν εἰς τὴν πόλιν.

Sola ea quae de belli Peloponnesiaci partibus et de Adimanti anno 405 proditione narrat anonymus Argentinensis (5,6), nos nihil novi docent. Sed quod Parthenonem veterem qui vocatur, anno fere 469 aedificari coeptum esse tradit papyrus Argentinensis,[2] (1) quod Athenienses centum triremes aedificare anno 449 decrevisse narrat, 2 b (cf. Andoc. de pace (III.) 5),[3] quod colacretas magistratus anno 403 iam non exstitisse firmat, 7, (cf. C. J.

---

1. δήμῳ traditur.

2. καὶ τὸν Παρθενῶνα μετ' ἔτη τ[μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τῶν Περ]σῶν ἤρξαντο οἰκοδομῆσαι supplendum esse et res et verba poscunt et Thuc. I. 93,8 (μετὰ τὴν Μήδων ἀναχώρησιν) probat. Demonstrat Foucartius revue de philologie 27 1903 p. 5 sqq. Ad Parthenonem veterem a Rossio anno 1835 erutum referendum est anonymi testimonium. Ergo falsum est, quod Doerpfeldius Athen. Mitt. 27, 1902, p. 379 sqq. nunc exponit veterem Parthenonem ante annum 480 aedificari coeptum propter Persarum incendium non exaedificatum esse. Quae Doerpfeldii sententia per se magnopere probabilis est. Sed de flammae vestigiis facile hic errari posse apparet, contra quin Foucartius verum suppleverit, dubitari non potest; cuius supplementum siquid ut ingeniosum ita verum est. Neque anonymus, qui primum testimonium veteris Parthenonis nobis affert, hic falsum narrat.

3. v. Keilium anonymus Argentinensis p. 137 sqq.

A. I. 59.61. cl. C. J. A. I. 20.45. J. G. A. I. suppl. p. 66. num. 53. a. v. 15. sqq.; Arist. Ath. pol. 30,2),[4] quod nomophylaces quinto quoque saeculo magistratus fuisse docet, 9, (cf. Philochorum lex. Cantab. s. v. νομοφύλακες),[5] quod donatis quoque civitate post Pythodorum archontem magistratum nescioquem datum esse dicit, (cf. [Platon.][6] Jon. 541 C. Aristot. Athen. pol. 41,3),[7] haec fere omnia nova sunt, omnia ut vera ita maximo sunt pretio. Et vix futile est quod, quo archonte societatis Deliacae aerarium Athenas sit translatum, per anonynum Argentinensem traditur.

Attamen et quod anno 450/49[8] aerarium Delo Athenas trans-

---

4. v. e. gr. E. Meyerum Forsch. z. alt. Gesch. II. 136 sq. Keilium l. c. p. 163 sqq. Cavaignac revue de philologie 27, p. 158 sqq.

5. v. Keilium l. c. p. 170 sqq.

6. Jon. 541 Apollodorum Cyzicenum Athenis praetura functum esse narratur. Pausan. I. 29,10 in Ceramico Apollodorum Atheniensium praetorem sepultum esse traditur, qui Perinthiis a Philippo obsessis ab Arsite satrapa anno 340 auxilio missus sit. Si Apollodorus in Jone nominatus idem est atque Apollodorus a Pausania memoratus, Cyzicenus a suo satrapa Perinthiis auxilio missus est; quo quid est verisimilius, cum Perinthus Cyzico ex adverso sita tunc oppidum fuerit Persarum. Apollodorus Cyzicenus Athenis civitate donatus est, fortasse propter Perinthii defensionem, nam Perinthum a Philippo defendere Atheniensium tunc magnopere intererat neque tunc a Philippo expugnata est Perinthus. Etiam praetura Athenis plus semel functus Apollodorus in Ceramico sepultus est. Priusquam praetura fungeretur, cives Atheniensis factus est Apollodorus, ut consentaneum est. (cf. Andoc. I. 149.) Pausaniae Apollodorum eundem esse atque Apollodorum in Jone nominatum, ergo Jonem non esse scriptum Platonis, ergo nonnullis Jonis locis haustum esse e Xenophontis symposio concludit Wilamowitzius Aristot u. Athen. I. 188,4. (Jam in Papii Benselerique onomastico hunc Apollodorum eundem esse atque illum statui invenio.) Ergo errant Duemmlerus Antisthenica kleine Schriften I. 34 sqq. Brunsius Litterarisches Portrait 351 sqq. Meyerus Forsch. z. alt. Gesch. II. 174,2 Janellius quaest. Platon. Fleckeis. suppl. 26, 1901 p. 324 sqq., quod Jonem genuinum Platonis scriptum esse contendunt.

7. v. Keilium l. c. p. 71.

8. Euthynus huius anni archon appellatus est non Euthydemus ut exhibet papyrus, teste titulo J. G. A. p. 7 num. 22a. v. Kirchhoffium ad titulum. Keilium. l. c.

latum esse et quod quinque talentorum milia translata esse tradit anonymus, vera esse negantur.[9]

Quo anno societatis pecuniae Delo Athenas translatae sint, nusquam traditur nisi per anonymum. Anno 454/53 et sociorum tributorum primas sexagesimas Minervae arcis dicatas esse et societatis Deliacae aerarium Delo Athenas translatum esse ante annum 1901 concludendum erat e sexagesimarum titulis, quibus annos dedit titulus anni 421/20 (C. J. A. I. 260). Nunc quattuor annis post primas Minervae dicatas sexagesimas aerarium Athenas translatum esse traditur. Et recte traditur.

De tempore aerarii translati nihil sequitur ex illo *ἐπὶ Ἀρίστωνος ἄ]ρχοντος Ἀ[θηναίοις* C. J. A. I 226: cum titulus C. J. A. I 260 (421/20) exhibet *ἦρχε δὲ Ἀθηναίοις Ἀριστίων,* tum C. J. A. I. 300, qui titulus exhibet rationes Parthenonis aedificati, *ἐπὶ Κράτητος ἄρχοντος Ἀθηναίοισιν* et J. G. A. I. suppl. p. 147 num. 300—302 (eiusdem tituli atque C. J. A. I. 300) *ἐπὶ Ἀψεύδους ἄρχοντος Ἀθηναίοις.*[10]

Neque multa inde concludi possunt, quod ante annum 450/49 sociorum tributa sunt plus 460 talenta, post hunc annum minus 460 talenta. Sane dant socii annis 454/53—451/50 495 fere talenta, annis 450/49—447/46 455 tantum talenta quotannis. Sed annis 446/45—440/39 tributa iterum minuuntur, sunt his annis 414 fere talenta, neque tamen post annum 454/53 ante bellum Samium multi socii deficiunt ab Atheniensibus: ergo annis 450/49—447/46 minuuntur tributa inprimis propter pacem quinque annorum, annis 446/45—440/39 inprimis propter pacem triginta annorum.[11]

Athenienses clade magna illa in Aepypto anno 454[12] accepta non ita laborant ut clade gravissima anno 413 in Sicilia accepta.

---

9. Illud a Meyero Geschichte des Altertums V. praef., hoc et a Keilio in editione anonymi Argentinensis p. 29 sqq. p. 116 sqq. et a Meyero l. c.

10. v. Foucartium l. c.

11. v. Pedrolii i tributi degli alleati d' Atene in Belochii studi di storia antica vol. I. 1890 tabellam p. 199.

12. Thucydidem in enarratione rerum post Medica ante coeptum bellum

Sane pereunt in Aegypto fere ducentae quinquaginta naves Atheniensium sociorumque, pereunt multi milites Atheniensium et sociorum. Sed anno 413 exeunte Lacedaemonii sunt Deceleae,

---

Archidamium gestarum I. 98 sqq. accuratissime ordinem temporum servare apparet. Fit Atheniensum ad Drabescum clades Thuc. I. 100,3 anno 465/64 schol. Aeschin. II. 31. Ergo est bellum Thasium annorum 465/64—463/62 Thuc. I. 100. 101. Post Thasium bellum fit Atheniensium expeditio Messeniaca, Athenienses societatem ineunt cum Argivis et Thessalis, Lacedaemonii conficiunt bellum Messeniacum novem annorum (103,1) anno fere 468 ortum schol. Aristoph. Lysistr. 1146, occupant Athenienses Megaram et Pegas murosque longos aedificant Megarensibus Thuc. I. 102. 103. Unde expeditionem Aegyptiacam non ante annum 460 susceptam esse sequitur. Tit. J. G. A. I. suppl. 22 b p. 8 teste Athenienses in Thessaliam copias miserunt Aristone archonte 454/53, in qua expeditione praeter Boeotos Phocen ses quoque Atheniensium sunt socii. Narratur Thessalica expeditio post cladem Aegyptiacam. Unde Atheniensium Aegyptiacum bellum, quo ἓξ ἔτη i. e. ἓξ θέρη καὶ ἓξ χειμῶνας Graeci dimicasse dicuntur Thuc. I. 110, annis 460—454 gestum concludendum est. Unius anni esse prima Aegyptiacae expeditionis proelia et pugnas ad Halies Cecryphaleam Aeginam Megaram commissas testatur Erechtheidis mortuorum titulus sepulcralis C. J. A. I. 433: ἀπέθανον . . . τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ: i. e. vere prioris anni (460) illae ducentae naves Thuc. I. 104 Athenis evehuntur, autumno huius anni e Cypro in Aegyptum navigat classis, vere et aestate alterius anni (459) ad Halies Cecryphaleam Aeginam Megaram pugnatur; hoc anno Aegina ab Atheniensibus obsideri et muri longi Atheniensium aedificari incipiuntur. Fit Tolmidae expeditio Peloponnesiaca Thuc. I. 108,5 Callia archonte 456/55 schol. Aeschin.. II. 75. Post pugnas Aeginensem et Megarensem ante Tolmidae expeditionem pugnatur ad Tanagram et Oenophyta Thuc. I. 107. 108, quae pugnae sunt unius anni. Neque sunt anni 456, nam una hieme et Boeotos Phocenses Locros Opuntios Atheniensium imperio subiectos esse Tanagraeorumque muros dirutos esse, (et ita subiciuntur Boeoti aliique, ut per decem fere annos sint Atheniensium,) et muros longos exaedificatos esse et deinde Aeginam expugnatam esse non statuendum est, cum non tradatur; quae si statueremus, Aeginetas obsessos per quattuor fere annos se defendisse esset statuendum, quamquam gravissimam cladem iam ante obsidionem accepissent; quod per tres fere annos se defendunt sicut sex annis ante Thasii, satis longum temporis spatium est. Neque pugnas ad Tanagram et Oenophyta anno 458 commissas esse statuendum est, cum quam plurimos annos Athenienses muros longos aedificasse statuendum sit, (v. Keilium Anonymus Argentinensis p. 100,2) quos muros admodum brevi tempore post Locros Atheniensibus subiectos exaedificatos esse e Thucydidis narratione

Graeciae continentis soli Argivi Atheniensium sunt socii, nonnulli socii etiam societatis Deliacae iam non sunt Atheniensium; pecuniae praeter mille talenta sunt exhaustae[13] neque est alterum Deli aerarium. Contra anno 454 Argivi sunt socii Atheniensium, (Thuc. I. 102,4), socii sunt Megarenses, occuparunt Athenienses Megaram Pegas Nisaeam moenia inter Megaram et Nisaeam aedificata Thuc. I. 103,4, est Atheniensium Boeotia Phocis Locris (Thuc. I. 108,3), iam Aeginam ceperunt anno 456, iam Tolmides Peloponnesum circumvectus est anno 456/55 et navalia Lacedaemoniorum combussit (Thuc. I. 108, 4. 5.) Etiam post illam cladem Prosopitideam (454) Athenienses in Thessaliam proficiscuntur et Sicyonem Oeniadasque aggrediuntur Thuc. I. 111 Achaeosque sibi adiungunt. Neque ante pugnam ad Coroneam commissam 447 Boeotia amittitur Atheniensibus neque ante hanc cladem Euboeenses et Megarenses deficiunt 446 neque ante hanc

---

apparet. Ergo ad Tanagram et ad Oenophyta anno 457 dimicatum esse statuendum est.

De bello Graeco nunc apparet: anno 459 Athenienses adoriuntur Peloponnesios, inprimis ut Aeginam expugnent et Megaram defendant; tum inde ab anno 459 exeunte et muros longos aedificant et Aeginam obsident Athenienses: itaque anno 458 non adoriuntur Peloponnesios. Anno 457 Lacedaemonii in Phocidem proficiscuntur, quos domum redeuntes in Boeotia Athenienses adoriuntur: ad Tanagram Athenienses vincuntur, attamen domum redeunt Lacedaemonii; Oenophytis Myronides vincit Boeotos. Boeotis Phocensibusque subiectis iterum Tolmide duce adoriuntur Athenienses Peloponnesios anno 456/55. Ubique adoriuntur Athenienses, nusquam Peloponnesii. — Si anno 459 in Aegyptum Athenienses advenisse et anno 458 ad Halies Cecryphaleam Aeginam Megaram pugnatum esse statueremus, et Athenienses per $1^1/_2$—2 annos (non $2^1/_2$—3 annos) muros longos aedificasse statuendum esset, et expeditones Thessalicam Achaicamque, cum clades Aegyptiaca anno 453 accepta esse esset statuenda, ante cladem Aegyptiacam ennarratas exspectaremus, cum Thucydides in fine cap. 109 libri I. res in Graecia gestas non res Aegyptiacas narret. -- E. Meyer Gesch. d. Altert. III. §§ 326 328 334 335 eundem fere temporum huius belli 460—53 ordinem statuit quem statuo.

Wilamowitzius Aristot. und Athen II. 291 sqq. et Busoltius Griech. Gesch. III. 1, p. 304 not. pag. 307 not. 4 pag. 328 not. 3 inprimis de annis 460 459 458 454 453 dissentiunt a. Meyero.

13. cf. quae cap. VII. disputabuntur.

Boeotorum victoriam Lacedaemonii aggrediuntur 446, qui ne post Tanagraeam quidem pugnam 457 adorti erant Athenienses indutiis factis non ante hiemem 450/49. Thuc. I. 113. 114.

Re vera neque anno 454 exeunte neque anno 450 exeunte Persae Atheniensibus bellum minantur, imo anno 449 Athenienses Persis bellum inferunt.

Contra annis 452 451 450[14] neque cum Corinthiis Lacedaemoniisque neque cum Persis bellum gerunt Athenienses: Thuc. I 112,1. Cur haec?

Causa non est sola clades Aegyptiaca: nam anno 453 post illam cladem Athenienses bellum Graecum in Thessalia Sicyonia Achaia Acarnania gerunt. Fortasse Athenienses cum suscepissent expeditiones Thessalicam et Peloponnesiacas anno 453, ut labefactatam clade Aegyptiaca apud Graecos auctoritatem recuperarent, novum bellum Graecum movere noluisse, contra Persas ulcisci studuisse statuendum est, neque tamen iam novam classem contra Persas mittere ausos esse Peloponnesiis bellum minantibus. Sed maximum est: Annis 452—50 sociorum aerarium nondum Athenis est in arce, pecuniae Atheniensium sunt exhaustae. Possunt Athenienses anno 453 in Thessaliam proficisci, possunt Sicyoniam Achaiam Acarnaniam aggredi, haec omnia ut hostibus suam potentiam ostendant; alia iam non possunt propter pecuniarum inopiam; nondum e. gr. societatis Deliacae aerarium Delo Athenas transferre possunt sociis invitis, cum socii se Peloponnesiis adiungere possint.

Tum autumno 450 indutiae fiunt cum Peloponnesiis: Athenienses nunc praepotentes esse videntur ut numquam antea: in pace per quinque annos domini erunt Boeotorum Phocensium

14. Illi tres anni sunt 452/51/50. Hieme 450/49 fiunt indutiae quinque annorum, anni 449 Cimonis est in Cyprum expeditio. — Bellum Samicum geritur Timocle (441/40) et Morychide (440/39) archontibus schol. Aristoph. vesp. 283, i. e. oritur aestate 440. Sexto anno ante fiunt indutiae triginta annorum, i. e. vere 445: cf. Thuc. II. 2. Ergo anno 446 Euboeenses et Megarenses deficiunt ab Atheniensibus, eodem anno Lacedaemonii, quos indutias quinque annorum violasse apparet, Plistoanacte duce in Atticam irrumpunt, anno 447 ad Coroneam pugnatur.

Locrorum Megarensium Trozeniorum Achaeorum: quae provinciae ante bella 460—450 nondum fuerant Atheniensium; per quinque annos Peloponnesii prohibebuntur, quominus bellum inferant Atheniensibus. Itaque novum bellum Persicum suscipere nunc possunt Athenienses. Jam cogi possunt socii ad decretum aerarii Delo Athenas transferendi. Aerarii transferendi optima causa protendi potest: metus Persarum. cf. Plutarch. Pericl. 12. Transfertur Delo aerarium in Minervae arcem. Nunc Atheniensibus satis magnae sunt pecuniae neque quicquam de his pecuniis socii decernere possunt: nunc Cimon in Cyprum vehitur, nunc centum novas triremes aedificant Athenienses (anonym. Argentin. 2b. Andoc. III. 5), instituunt illos trecentos equites illosque trecentos Scythas (Andoc. III. 5),[15] Parthenonem aedificare incipiunt.[16]

Sociorum aerarium anno 450/49 Delo Athenas translatum esse anonymum Argentinensem recte tradere iam constat.[17]

Quinque milia talentorum Athenas translata esse tradit anonymus Argentinensis; nam quindecim milia talentorum translata esse tradere anonymum nullo modo potest statui, cum talem propolam non esse anonymum e ceteris papyri excerptis appareat.[18] Si decem aut octo milia talentorum Delo translata esse traderet anonymus, ita errasset ut apud Diodorum XII. 38,2 erratum est: i. e. anonymus quoque talenta Periclis temporibus in arce servata (Thuc. II. 13,3. Andoc. III. 7/8. Isocrat. de pace (VIII.) 126: cf. Pausan. I. 29,16. Isocrat. antidos. (XV.) 234. VIII. 69. Demosth. Olynth. III. (III.) 24. Diod. XII. 40)[19] pro talentis Delo in arcem translatis vendidisset. Sed quod anonymus quinque milia talentorum translata esse docet, hunc talentorum numerum

---

15. v. Keilium anonymus Argentinensis p. 135 sqq.

16. Parthenonem aedificare incipiunt Callicrates et Ictinus anno 447: C. J. A. I. 301: ἐπὶ τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης βουλῆς . . . ἐπὶ Κράτητος (434/433) ἄρχοντος Ἀθηναίοισιν. Plutarch. Pericl. 13.

17. cf. Keilium l. c. p. 123 sqq.

18. cf. Keilium l. c. p. 33 sqq. inprimis p. 37.

19. cf. Boeckhium Staatshaushaltung der Athener I.[3] p. 516. Keilium l. c. p. 33 sqq.

divisione numeri illorum decem milium talentorum aut errore aut consulto fictum esse estne statuendum? Quinque milia talentorum Delo in arcem translata esse anonymo concedere non vetamur loco illo gravissimo Thuc. II. 13,3. Ut illa quinque milia talentorum divisione ex illis decem milibus talentorum ficta esse statuendum sit, — si quattuor milia talentorum Delo translata essent auctore anonymo, haec quattuor milia talentorum nonne divisione ex illis octo milibus talentorum ficta essent putanda? (Isocrat. VIII. 126. cf. Pausan I. 29,16.), — si tria milia talentorum translata esse traderet anonymus Argentinensis, haec tria milia talentorum eadem atque illa tria milia talentorum Calliae psephismatis C. J. A. I. 32 nonne essent habenda? — ut duo milia talentorum Delo translata esse traderent excerpta Argentinensia, illa duo milia talentorum *ἱερῶν χρημάτων* (Isocrat. VIII. 69. cl. 126) ut vendita pro talentis Delo translatis nonne essent statuenda? aut horum duorum milium talentorum numerus nonne ut duplicatione ortus e numero illorum mille talentorum Thuc. II. 24,1 VIII. 15,1 esset existimandus? — si mille talenta Delo translata esse exhiberet illa papyrus, haec mille talenta nonne pro illis mille talentis Thucydideis essent habenda? Tali modo nihil effici apparet.

Cum ceterorum, quae affert anonymus Argentinensis, nihil sit futile, perscrutemur utrum traditus per anonymum numerus credibilis sit necne, praesertim cum admodum magnas pecunias Delo translatas esse appareat. nam et Athenienses magnopere curant, ut pecuniae illae Athenas transferantur, et sociorum aerario in arcem translato Athenienses sumptuosissima quaeque moliuntur: novum inferunt bellum Persis, Parthenonem aedificare denuo incipiunt.

Anno 450 possuntne inesse quinque milia talentorum in societatis aerario Deliaco?[20]

---

20. Primus historiam Atheniensium aerarii scripsit Boeckhius Staatshaushaltung der Athener[3] I. 517—533. Post Boeckhium ingeniose de aerarii historia egerunt: Kirchhoffius zur Geschichte des Attischen Staatsschatzes comment. academ. Berol. 1876, Belochius der Staatsschatz mus. Rhen. 39,49 sqq. die eigenen Einnahmen der Tempelschätze ibid. p. 56 sqq. E. Meyer Forsch. z.

Annis 450/49—434 in Hellenotamiarum aerario, (quod non est in arce: C. J. A. I. 32,) sumptibus ordinariis in classem aliaque impensis quotannis restant pecuniae, et magnae quotannis restant pecuniae, quamquam tributa sociorum per quadriennia singula minuuntur. Id docet nos illud Calliae decretum C. J. A. I. 32:[21] inprimis Hellenotamiae pecunias dare iubentur, ut aliis deis illa ducenta talenta debita reddantur, Hellenotamiae, quae quotannis restant pecuniae, apud Deae quaestores deponere iubentur, (*κατατιθέναι κ[ατὰ τὸ]ν ἐνιαυτὸν τὰ ἑκά[στοτε περιόντα*[22] *παρὰ το]ῖς ταμίασι τῶν [τῆς Ἀθ]ηναίας τοὺς Ἑλληνο[ταμίας]*;) dant Hellenotamiae annis 444/43 (C. J. A. I. 310. 308.) et 443/42 (C. J. A. I. 309)[23] pecunias ad Parthenonem aedificandum; neque ullos quaestores praeter Deae quaestores maiores pecunias quam Hellenotamias his annis ad Parthenonem aedificandum dedisse e magistratuum in his titulis ordine veri fit simile;[24] eodem modo Hellenotamiae pecunias dant ad Parthenonem aedificandum C. J. A. I. 304. 312,[25] ad Propylaea aedifi-

alt. Gesch. II. zur Geschichte der Attischen Finanzen im V. Jhdt. p. 88 sqq cf. inprimis p. 119 sqq.

21. Pecunias reliquorum (praeter Minervae et Victoriae) deorum in unum aerarium conferri huiusque aerarii quaestores creari decernitur Calliae psephismate, qui quaestores pecuniarum reliquorum deorum quotannis residuarum summas in lapide incidere sicut Minervae quaestores Calliae decreto iubentur. Minervae quaestorum inde ab anno 434/33 tituli nobis servati sunt C. J. A. I. 117 sqq., reliquorum deorum quaestorum titulos C. J. A. I. 194 sqq. inde ab hoc anno exstitisse constat. E Thucydidis II. 13 cl. Philochoro apud Harpocrat. p. 159 Bk. (= fr. 98 M.) Calliae decretum anno 437 antiquius esse non posse sequitur. Quibus de causis Calliae decretum anni esse 435/34 certum est. Errarant de huius decreti tempore Boeckhius Staatshaush. I.² 576 sqq. II. 495 sqq. Loeschkius de titulis aliquot Atticis. diss. Bonn. 1876, Belochius das Psephisma des Kallias mus. Rhen. 43, 1888, 113 sqq. Verum vidit Kirchhoffius Urkund. d. Schatzmeister der andern Götter comm. acad. Berol. 1864, zur Gesch. d. Attisch. Staatssch. comm. acad. Ber. 1876, nunc E. Meyer Forsch. z. alt. Gesch. II. 88 sqq.

22. restituit I. Christ de publicis populi Atheniensium rationibus p. 14.

23. Tempus et ordo horum titulorum constat scribarum nominibus: v. C. J. A. I. 236. 237. Probavit Christius l. c. p. 34.

24. Statuit Meyerus l. c. p. 102.

25. Titulum C. J. A. I. 312/13 partem esse tituli C. J. A. I. 300—311 statuit Koehlerus C. J. A. l. c.

canda[26] C. J. A. I. 314. 315. 316, J. G. A. I. suppl. p. 77 num. 331 d[27] dant sexagesimas tributorum sociorum i. e. singulas minas singulorum tributi talentorum.

Eis temporibus, quibus sociorum aerarium Deli fuerat, pecunias in Hellenotamiarum aerario residuas non ad templa aedificanda, talia sumptas esse apparet, imo in sociorum Deliaco aerario pecunias servatas esse veri est simile. Thesaurum societatis fundare decrevisse socios anno 478/77 nonne est verisimile? Illud Deliacum ταμιεῖον Thuc. I. 96, quin et societatis aerarium publicum (Reichskasse) et societatis thesaurus publicus (Reichsschatz)[28] fuerit, non potest dubitari. Neque in thesaurum sociorum nisi tributorum sociorum quae quotannis restitissent, quicquam translatum esse estne statuendum? Socios una cum Atheniensibus ad Eurymedontem ad Aeginam in Aegypto dimicasse tradit Thucydides. (Ad Tanagram non Deliacae societatis socios, sed continentis Graeciae socios i. e. praeter Thessalos et Argivos, quos nominat Thucydides, inprimis Megarenses — καὶ τῶν ἄλλων ξυμμάχων ὡς ἕκαστοι Thucyd. — Athenienses iuvisse statuendum est.) Ad Eionem Scyrum Carystum Naxum Thasum Cecryphaleam socios certe nonnullos Deliacae societatis adfuisse pro certo est habendum, cum Byzantios aliosque una cum Atheniensibus in Chersoneso Thracia dimicasse brevi ante cladem ad Drabescum acceptam constet titulo C. J. A. I. 432. Praedae partem et pecunias in haec bella sumptas cum usuris redditas a victis hostibus socios in thesaurum transtulisse nonne est statuendum? Sane partem sumptus expeditionis Aegyptiacae ex aerario Deliaco socii sumpserunt, sed partem — non potest de hac re dubitari —

---

26. Mnesicles Propylaea aedificare coepit Euthymene archonte 437/36; testibus C. J. A. I. 314, Philochoro (apud Harpocrationem p. 159 Bk.) cf. Plut. Pericl. 13.

27. Titulos J. G. A. I. suppl. num. 331 d. et C. J. A. I. 316 ingeniose connexos partem esse tituli C. J. A. I. 314/315 cognovit Bannierus Athen. Mitteil. 27, 1902, p. 302 sqq.

28. Ut quod dicimus Kasse, vocabulo aerarii, quod dicimus Schatz, vocabulo thesauri vertam.

impenderunt Aegyptii ipsi, partem Athenienses. Et primis expeditionis annis in Aegypto quoque praedas faciunt Athenienses sociique, huisque praedae partem in Deliacum thesaurum translatum esse inde concludendum est, quod praedae etiam in Siciliensi expeditione factae decimae sunt Minervae arcis dicatae [Lysia][29] pro Polystrato (XX.) 24 teste.[30] Et amissae sunt naves Atheniensium sociorumque in Aegypto anno 454, sed ante annum 449 novae naves non sunt aedificatae. Sumptus autem belli in Graecia annis 460—453 gesti quin maxima ex parte Athenienses ipsi sociique continentis Graeciae, non socii Deliaci fecerint, vix potest dubitari.

Ergo quod testis optimus anonymus Argentinensis anno 450 in aerario Deliaco quinque milia talentorum infuisse testatur, non est cur non credamus.

Haec quinque milia talentorum anno 450/49 in arcem Minervae translata esse narrat anonymus Argentinensis.

Anno 421 pecuniarum, quae anno 431 in arce fuerant Thuc. II. 13, praeter illa mille talenta Thuc. II. 24. VIII. 15 nihil superfuisse nisi nonnulla centena talenta testes sunt logistarum rationes C. J. A. I. 273. Iam anno 428 magnae Minervae pecuniae exhaustae erant, *εἰσφορὰν εἰσφέρειν* necesse erat Thuc. III. 19.

Unde pecuniarum, quae anno 460 in arce fuerant, anno 452 non magnam partem superfuisse verisimile fit. Id quod firmatur eo, quod Athenienses annis 452—450 bellum neque in Graecia neque contra Persas gerunt. — Constat loco Thucydideo II. 13 cl. C. J. A. I. 32 nullo umquam anno antecedente plus pecuniarum in arce fuisse quam anno 437/36 ante Propylaea aedificari coepta, cum illa tria milia talentorum in arcem essent translata

29. Oratio pro Polystrato paucis mensibus post quadringentorum senatum imperio expulsum habita est, (anno 410 aut 409 cf. etiam § 29.: v. Pohlium, de oratione pro Polystrato Lysiaca diss. Argent. 1881 p. 25 sqq.) Lysias contra Eratosthenem (XII) 3 se ante hanc contra Eratosthenem Polemarchi caedis causam (403) nullam adhuc causam neque suam neque alienam dixisse diserte testatur. Hoc testimonium sufficit, ut orationem XX. Lysiae abiudicemus. (v. e. gr. Pohlium l. c. p. 36.) Accedunt multa cur oratio XX. non sit Lysiae.

30. Docuit Meyerus Forsch. z. alten Geschichte II. p. 122.

C. J. A. I. 32.[31] Si annis 452—50 plura milia talentorum in arce fuissent, anno 460 ante bella annorum 460—453 plures pecuniae in arce fuissent, quam anno 437/36, id quod statuere loco Thucydideo vetamur.[32]

Athenienses anno 415 nondum reddidisse, quod ex bello Archidamio debuissent publico aerario, docent nos publicarum pecuniarum inde ab anno 418/17 rationes C. J. A. I. 180/83.[33] Unde Athenienses anno 447, quo anno Parthenonem aedificare coeperunt, pecunias publico aerario e bello 460—53 gesto debitas nondum reddidisse apparet collato titulo C. J. A. I. 32, qui Athenienses decem annis post annum 447 illa tria milia talentorum scil. magna e parte e bellorum 460—53 temporibus debita aerario publico reddidisse docet cl. Thuc. II. 13.[34]

Ergo et Persis novum bellum inferre et Parthenonem aedificandum denuo incipere et murum medium aedificare Athenienses brevi post annum 450 non potuissent, nisi pace cum Lacedaemoniis facta anno 450 sociorum aerarium Delo Athenas translatum esset. Et si quinque milia talentorum anno 450/49 in sociorum aerario infuisse non traderetur, statuendum esset tunc in aerario sociorum nonnulla milia talentorum infuisse.

Usque ad annum 425/24 sociorum tributa exacta sunt quantum ullo modo fieri potuit ex Aristidis censu sexagesimarum titulis testibus: hoc quoque recte testatur anonymus Argentinensis.

Nunc apparet, cur Deae quaestores persaepe dent pecunias Hellenotamiis, ut Hellenotamiae dent praetoribus: magna pars pecuniae in arce servatae est sociorum aerarii, sociorum autem

---

31. Statuit primus dilucide Kirchhoffius zur Gesch. d. Attisch. Staatsschatzes p. 22 sqq

32. Quod statuere nos loco Thucydidis vetari Meyerum Forsch. z. alten Gesch. II. 119 sqq. falso negare iam apparet.

33. Demonstravit Kirchhoffius l. c. p. 46 sqq.

34. Thuc. III. 17 mittere licet: interpolatum est; illae centum naves Atticam Euboeam Salaminem custodientes sicut alia interpolatoris errori debentur: II. 24,2. III. 13,4 cl. III. 3,2. III. 7,1. Demonstravit Steupius mus. Rhen. 24, 350 sqq. 1869. Neque Thucydides sunt Herbstii.

magistratus sunt Hellenotamiae. *εἰς πόλιν* sociorum talenta transducta esse tradit anonymus Argentinensis. *ἐπειδὴ τῆι Ἀθηναίαι τὰ τρισχίλια τάλαντα ἀνενήνεγκται εἰς πόλιν* et *κατατιθέναι κ[ατὰ τὸ]ν ἐνιαυτὸν τὰ ἑκά[στοτε περιόντα παρὰ το]ῖς ταμίασι τῶν [τῆς Ἀθ]ηναίας τοὺς Ἑλληνο[ταμίας* exhibet Calliae decretum. C. J. A. I. 188, qui titulus exhibet rationes Glaucippo archonte expensorum, praeter pecunias e Poliadis Victoriaeque aerariis expensas expenduntur *τὰ ἐχ Σάμου,* expenduntur aliae pecuniae nescimus unde,[35] C. J. A. I. 183 exhibetur *Ἑλληνοταμίαις καὶ παρέδροις ἐδανείσαμεν*. E quibus locis non omnes pecunias in arce servatas Poliadis Victoriae reliquorum deorum sacras fuisse sequitur, magnas pecunias traditas quidem esse deae quaestoribus, fuisse autem publici aerarii. Id quod firmatur cum eo, quod Isocrates VIII. 126 *ἱερὰ* scil. *χρήματα* secernit a ceteris pecuniis, tum eo quod tituli exhibent *Ἀθηναῖοι ἀνήλωσαν . . . τάδε* aut *ταμίαι ἱερῶν χρημάτων . . . παρέδοσαν στρατηγοῖς* (aut *Ἑλληνοταμίαις*) nulla Deae mentione facta. Usurae sunt pendendae et pecuniarum Deae sacrarum, quod sunt Deae, et imperii rei publicaeque pecuniarum, quod sunt Deae traditae; itaque ubi usurae computantur C. J. A. I. 273, non discernuntur pecuniae sacrae a pecuniis publicis; neque usquam Thucydides *δημόσια χρήματα* a sacris pecuniis discernit neque tituli discernunt nisi passim: C. J. A. I. 32: *ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς τά χρήματα τὰ ὀφειλόμενα* scil. *τοῖς θεοῖς;* C. J. A. I. 183 *ἐδανείσαμεν;* C. J. A. I. 188 *Ἀθηναίας Πολιάδος; Νίκης.*

Sunt ergo Deae quaestores aerarii quoque publici Deae traditi quaestores: C. J. A. I. 184: *ἐκ τῶν ἐς τὰς τρι]ήρεις ὧν παρελάβο[μεν παρὰ τῶν προτέρων ταμιῶν: τὰ ἐς τὰς τριήρεις* publicas (non sacras) fuisse pecunias veri est simile.

Minervae qaestores exstant iam saeculo sexto, reliquorum deorum quaestores inde ab anno 434/33 usque ad saeculi quinti exitum. Hi quaestores Deae et reliquorum deorum senatus sunt

---

35 v. Belochium mus. Rhen. 39, 59 sqq.

magistratus: Aristot. pol. Ath. 47, 1. C. J. A. I. 32. Ea quoque de causa in arce profanas pecunias praeter sacras exstitisse veri fit simile.

Ut anno 431 in Minervae aerario insunt fere 5300 talenta in reliquorum deorum fere 700 talenta Thuc. II. 13. C. J. A. I. 32[36], sic in unius Minervae aerario iam antiquitus octuplum fere pecuniarum infuisse, quam exhibuissent omnia reliquorum deorum aeraria coniuncta[37], potestne statui? Minerva arcis estne anno 480 tam magnus divesque deus quam Apollo Delphicus Juppiter Olympius dei orientis?

Hoc nullo modo statui potest.

Sane Deae quaestores magistratus sunt Solonis temporibus antiquiores, (Aristot. Athen. pol. 4,2 e. gr.) sunt iam sexto saeculo plures quam quinque viri, ut veri simile est, J. G. A. I. suppl. p. 199 num. 373,238. Attamen quod pecuniae, quae e mulctis redeunt, et sine ullo dubio aliae quoque pecuniae iam antiquitus in arcem feruntur, (Aristot. pol. Athen. 8,4,) quod e Minervae aerario ut videtur ante pugnam Salaminiam anno 480 Areopagitae dant singulis civibus octonas drachmas (Aristot. Ath. pol. 23,1), sunt in arce antiquitus nonnulla centena talenta.

Sunt Isocrate teste (anno 437/36 Thuc. II. 13. C. J. A. I. 32) duo milia talentorum deorum sacra, quorum dimidia fere pars C. J. A. I. 273 teste est reliquorum deorum et Victoriae; ergo mille fere talenta anno 437/36 Minervae sunt sacra; tria milia fere talentorum rei publicae sunt Atheniensium: *ἀνενήνεγκται ἐς πόλιν;* quinque milia fere talentorum imperii sunt pecuniae: . . . *ειν εἰς τὴν πόλιν* anonym. Argent.

Quod iam anno 460 nonnulla milia talentorum certe insunt in Minervae aerario, inde factum est, quod Minervae quaestoribus traditus est rei publicae quoque thesaurus,[38] (der Staatsschatz); — aerario rei publicae[38] (der Staatskasse) praesunt Colacretae

36. Demonstravit Meyerus Forsch. z. alten Geschichte II. p. 128sqq.
37. Statuit Meyerus Forsch. z. alten Gesch. II. p. 125sqq.
38. ut iterum sic verba distinguere mihi liceat.

neque est in arce; — et magnae pecuniae inde ab anno 478/77 quotannis redeunt in Atheniensium rei publicae quoque thesaurum, ita ut tria milia talentorum (C. J. A. I. 32) certe sumere possint Athenienses e Minervae aerario annis 460/53. Deinde anno 450/49 Deae rei publicaeque thesauris coniungitur imperii quoque thesaurus (der Reichsschatz); — aerario imperii, der Reichskasse, praesunt Hellenotamiae neque est in arce; — quibus tribus thesauris coniunctis factum est, ut anno 437/36 fere decem milia talentorum sint in arce, quamquam nonnulla milia talentorum iam consumpta erant in Parthenone muro medio aliis aedificandis, quamquam anno 453 vix ullae pecuniae fuerant in arce Deae rei publicaeque thesauris fere exhaustis. Quae pecuniae ne facile consumantur, ἄδεια a populo est petenda, ut pecuniae a Dea postulentur, usurae sunt solvendae mutuarum cum Deae tum rei publicae imperiique pecuniarum.

III.

De tributorum census decretis a Cratero Macedone allatis.

Anno 443/42 (C. J. A. I. 237 [1]) Atheniensium imperium dividitur in quinque provincias, quarum Caricae provinciae civitates bello Samico iam anno 439/38 partim ab Atheniensibus desciscunt, partim cum Jonicae provinciae civitatibus coniunguntur. — Quinto quoque anno civitates plerisque denuo censitas esse tradit oligarchi anonymi de Atheniensium republica libellus 3,5, probant sexagesimarum tituli. Quibus titulis testibus post annum 454/53, quo anno primae tributorum sexagesimae deae arcis dicantur, novus tributorum census fit anno 450/49, quo anno aerarium Delo Athenas transfertur; deinde novus census habetur anno 446/45, quo anno pax fit triginta annorum. Sequentem censum anno 442/41 habitum esse exspectaremus, sed cum anno 443/42 imperium in provincias divisum esse constet, huius anni 443/42 novum censum fuisse veri est similius quam anni 442/41. Et habetur anno 443/42 novus tributorum census; nam Jonicae provinciae dant

Butheenses annis 10 (C. J. A. I. 235) 11 (236) 600 drachm. anno 15 (240) 1000 drachm. tribut.

Sidusii anno 10(235) 3000 drachm. annis 14(239) 15(240) 500 drachm. tribut.

Thraciae provinciae dant

---

1. Kirchhoffii de Aristidis censu deque imperii in provincias divisione doctrina (Hermae 11) refutatur Thuc. I. 96 cl. Aristot. Ath. pol. 23,5. Kirchhoffii doctrinam falsam esse iam ante annum 1890 solis e Thucydideis I. 96. V. 18,5 acute demonstravit Belochius *ὁ ἐπ' Ἀριστείδου φόρος* mus. Rhen. 43, 1888, p. 104sqq. Nunc vide Meyerum Forsch. z. alt. Gesch. II. p. 82sqq.

Galepsii anno 9(234) 1 tal. 3000 drachm. anno 12(237) 3000 drachm. tribut.

Insularis provinciae dant

Athenitae anno 11(236) 4000 drachm. anno 12(237) 2000 drachm. tribut.

(Quod nonnullae civitates, quas ante annum 12 Hellenotamiarum aliarum civitatum fuisse conicias, ipsae Hellenotamiis ipsis ante annum 12 pecunias dedisse non videntur, post hunc annum dant ipsae Hellenotamiis ipsis tributa, nolumus premere, nam fortasse horum sociorum nonnulli iam annis 1—11 (226/36) ipsi Hellenotamiis ipsis tributa solvunt, id quod non cognosci potest ideo, quod nomina supplere in titulis 1—11 perdifficile est, cum nondum ordo provinciarum exstet. Sunt Jonicae provinciae Isindii, qui solvunt ipsi Hellenotamiis ipsis tributa annis 12(237), 13(238), 14(239), 15(240) sqq., Thraciae provinciae Othorii, quorum nomen exhibetur titulis annorum 12, 13, 14 sqq., Caricae provinciae Arceenses tit. annor. 12, 13, 14, 15 sqq., Claudenses annis 12, 13, 14.)

Non multarum civitatum tributa minuuntur aut augentur anno 443/42: sed id non miramur: nam anno 450/49 multarum civitatum tributa minuuntur, (vix ullarum augentur,)[2] ideo quod pax quinque annorum hoc anno est facta, anno 446/45, quod clade ad Coroneam accepta pax triginta annorum est facta, anno 439/38, quod propter illud magnum bellum Samicum praeter nonnullas Hellespontias civitates Thraciae civitates rebellare conatae erant.[3] Contra anno 443/42 non erat, cur multarum civitatum tributa aut augerentur aut minuerentur: nihil tale inde a pace triginta annorum novatum erat.

Ergo anno 443/42 novus census est habitus,[4] deinde anno 439/38.

---

2. v. Busoltii praeclarae commentationis der Phoros der Athenischen Bündner philolog. 41, 1882, p. 704—717.

3. Demonstravit si quid Busoltius philol. 41 p. 653 sqq.

4. Id quod fugit doctos. cf. abhinc Pedrolii tabellas si non ubique

Cum usus sit Craterus Macedo in *ψηφισμάτων συναγωγῇ* tributorum census decretis, Crateri frg. 2. (Muelleri) anni 12 est (443/42), nam anni 12 census decretum solum omnium horum decretorum lemma *Καρικὸς φόρος* a Cratero allatum exhibuit; anno 16, 439/38, quo post anni 12 censum novus census est habitus, iam non exstitit *Καρικὸς φόρος.* Cratero teste dubitari non licet, quin Caricae provinciae laterculus in census decreto anni 443/52 initio haec exhibuerit:

Καρικὸς φόρος
Δῶρος
Φασηλῖται.

In sexagesimarum anni 443/42 titulo alium ordinem Caricarum civitatum atque in census decreto huius anni exstitisse docemur tit. C. J. A. I. 237. Dorus quin sit illud Phoenices oppidum,[5] non potest dubitari, cum post Dori nomen census decretum exhibeat proximum Phaselidis nomen oppidi in extremis Atheniensium imperii partibus sicut Dorus Phoenices siti. Neque dubitari possit, quin Dorus anno 460 Atheniensium sit facta, quo anno — — neque ullo alio anno praeterea — Athenienses in Phoenice pugnaverunt teste Erechtheidis mortuorum titulo sepulcrali C. J. A. I. 433. Doritas numquam tributum solvisse statui non potest, cum Phoenices civitatem non censuissent Athenienses, si re vera numquam Atheniensium fuisset; Doritas anno 443/42 tributum solvere iam desiisse verisimile est: iam cladem Aegyptiacam Athenienses acceperant. Censuerunt tamen Doritas Athenienses post Calliae pacem, sicut post Calliae pacem multae Caricae civitates Persarum factae sunt, sicut post Calliae pacem Athenienses metuerunt, ne Persae adorerentur, belli Samii temporibus: Thuc. I. 116,3.

---

satis accuratas tamen multis locis perutiles: in Belochii studi di storia antica vol. I. 1891.

5. Statuit Koehlerus in illa commentatione Urkunden und Untersuchungen zur Gesch. des Delisch-Attischen Bundes comment. acad. Berol. 1869 p. 121,3.

Neque dubitamus Crateri frg. 1 eidem census decreto adscribere atque frg. 2, cum eiusdem sint Crateri libri III. Frg. 1 frustulum est Jonicae provinciae anno 443/42 laterculi. Solvunt Gryneenses tributum anno 13 (442/41) e. gr. neque quicqam obstat, quominus Gryneensium nomen in sexagesimarum laterculo anni 12 suppleamus. Neque est cur non Pitanaeorum quoque nomen in titulis annorum 12—14 suppleamus: Pitanaeorum quoque nomen in titulo anni 15 e. gr. exhibetur. Vix Carinaeorum nomen — affert Stephanus Byzantius locum Herdoteum VII (42), — in titulis annorum 12—15 suppleri potest neque scimus, utrum Carinaei solverint umquam tributum an censiti tantum sint.

Anni 443/42 census decretum adnexum fuisse illi populi de imperii in provincias divisione decreto, ut anni 425/24 census decretum adnexum est illi de tributis duplicandis decreto C. J. A. I. 37, Craterumque hac de causa anni 443/42 decreta attulisse veri est simile.

In nono libro *ψηφισμάτων συναγωγῆς* affert Craterus frg. 12 13, 14, quae quin unius sint census decreti, dubitari non potest. Cum Crateri *ψηφισμάτων συναγωγὴν* servare temporum ordinem appareat,[6] hoc Crateri census decretum alterum non idem est atque census decretum anni 425/24 C. J. A. I. 37, (quamquam *τὸ Νύμφαιον* nominatur in hoc Crateri decreto, unde recte Nymphaei nomen C. J. A. I. 37 suppletur,)[7] nam in libro nono *συναγωγῆς* praeter illud alterum census decretum inest Andronis contra Antiphontem sociosque decretum anni 411: cf. vitam Antiphontis 22—24 Bl.[8]: si in tertio Crateri libro inest decretum anni 443/42, in nono libro decreta et anni 425/24 et anni 411 inesse non

---

6. Novissimus demonstravit Krechius de Crateri *ψηφισμάτων συναγωγῇ* diss. Berol. 1888.

7. supplevit Koehlerus.

8. Andronis in Antiphontis vita decretum e Caecilio sumptum est. Caecilium e Heliodoro sumpsisse demonstravit Keilius über Heliodoros den Athenischen Periegeten Hermae 30. Heliodorum Andronis unum decretum e Cratero sumpsisse non est verisimile; tria alia decreta non sumpsit e Cratero.

possunt. Unde hoc alterum census decretum omnium horum de tributis solvendis decretorum novissimum fuisse, quod exstitit, apparet i. e. temporum fere belli Siciliensis aut brevi priorum temporum; (inde ab anno 413 Atheniensium socii pro tributis vicesimas solvunt.) Quod decretum, si inde ab anno 425/24 quinquennii ordo censuum servatus sit, anni sit 417/16. Sed his temporibus hunc ordinem semper servatum esse vix statui potest: neque in Crateri libro nono, cum insit in libro tertio decretum anni 443/42, et anni 417/16 et anni 411 decreta infuisse statuendum est, cum statuere non necesse sit: imo hoc alterum census decretum anni 415/14 aut 414/13 esse veri est simile. Quocum optime congruit, quod anno 425/24 Nymphaeitae duo talenta dare iubentur C. J. A. I. 37, hoc Crateri decreto altero teste unum tantum talentum; — non est, cur *'Αθηναίοις τὸ Νύμφαιον ἐτέλει τάλαντον* Harpocrationem falso e Cratero sumpsisse statuamus; — nonnullarum civitatum tributa anno 425/24 censita postea minuta esse e titulis C. J. A. I. 258, 260 (anni 421/20.) 261. 262. 263. J. G. A. I. suppl. 272 f. apparet, qui omnes tituli anno 425/24 recentiores recte habentur.

Nymphaeum frg. 12 et *'Αρταίου τεῖχος ἐπὶ τῶι Ρύνδακι*[9] frg. 13 Hellespontiae sunt provinciae: utrumque oppidum iam anno 425/24 (C. J. A. I. 37) censetur. Lepsimandii frg. 14 post annum 440/39 Jonicae sunt provinciae. Solvunt Lepsimandii usque ad annum 440/39 quotannis legitume suum tributum titulis sexagesimarum testibus, — sunt annis 443/42—440/39 Caricae provinciae, — deinde per aliquot annos non sunt Atheniensium, deinde J. G. A. I. suppl. 272 g iterum Atheniensium sunt socii. Quibus de causis Lepsimandiorum nomen in Jonicae provinciae laterculo tituli C. J. A. I. 37 est supplendum.

Crateri frg. 3, cum adhuc non constet, apud Stephanum Byzantium utrum *Γ* an *Θ* sit traditum, adhuc nescimus utrius sit decretorum a Cratero allatorum. Est Tyrodiza Hellespontiae provinciae: C. J. A. I. 37 cf. 540. Quocum optime congruit,

9. Sic fluminis nomen exhibet titulus C. J. A. I. 37.

quod Perinthiorum est oppidum: Herod. VII. 25. Sita est ad Serrium[10] teste Stephano Byzantio s. v. Τυρεδίζα. Huius Serrii in Hellespontiae provincia siti testes sunt Seriotichitae Hellespontiae provinciae: J. G. A. I. suppl. 272b p. 72,[11] 272e p. 175. Alterum Serrium exstat inThracia provincia: Δρῦς παρὰ Σέρρειον, Ζώνη παρὰ Σέρρειον J. G. A. I. suppl. p. 140 num. 37. Thraciae Serrium nominatur ab Herodoto VII. 59, una cum Dorisco a Demosthene de Cherson. (VIII.) 64, [IV. contra Philipp.[12]] (X) 8,65, de corona (XVIII.) 70; Hellespontium Serrium nominatur ab Hegesippo[13] de Halonneso [Demosth.] (VII.) 37 (Serriontichus, Ergisce, Hieronoros). Et Thracium Serrium et Hellespontium Serriontichus nominantur a Demosthene III. contra Philippum (IX.) 15: Serrium Doriscus — Serriontichus Hieronoros. Demosth. XVIII. 27 Serrium Myrtenum Ergisce (cf. VII. 37 inprim.) coniunguntur.[14]

---

10. correxit Keilius παρὰ Σέρριον pro μετὰ Σέρριον cl. J. G. A. I suppl. p. 140 num. 37.

11. traditur ΣΕΡ . . .; suppleo cl. 272e.

12. Quae oratio inanis est declamatio: tales loci quales sunt 11, 16, 24, 27, 12, 47 ad verbum sumpti sunt e Demosthenis Chersonesia oratione 38, 44, 48, 51, e secunda Philippica 17, e tertia Philippica 21—24, e tertia Olynthiaca 27. Accedunt multa, cur hanc orationem a Demosthene abiudicemus. v. e. gr. Schaeferum Demosthenes und seine Zeit III. 2,94 sqq. Non genuinam esse hanc orationem iam veteres critici nonnulli cognoverunt.

13. Oratio est Hegesippi: Se legatum ad Philippum missum esse dicit orator de Halonneso 2, ut Philippum Atheniensibus Halonnesum reddere iuberet. Hegesippum tunc ad Philippum legatum missum esse testatur Demosthenes de falsa legat. (XIX) 331. Neque Demosthenes tunc legatus ad Philippum missus est Aeschin. Ctesiphont. 73 teste. Paeaniensem Callippum se παρανόμων accusasse dicit orator 43: φαίνεται οὐχ ὁ Δημοσθένης ἀλλ' ὁ Ἡγήσιππος τὴν κατὰ τοῦ Καλλίππου γραφὴν ἐνστησάμενος: Libanii ὑπόθεσις. De oratore in litteris questus est Philippus 19, 21, oratorem se apud Graecos calumniari questus est Philippus: tunc in Peloponnesum Hegesippus cum Demosthene legatus ierat. — Hegesippi orationem esse iam veteres nonnulli cognoverunt: v. Libanii ὑπόθεσιν. Nunc v. e. gr. Voemelium in edit. 1833 p. 41. Rehdantz. in edit. 1878 p. 56.

14. Voemelius Serrium et Serriotichus diversa loca diverse scripta esse e Demosthenis locis iam cognovit in edit. 1857 p. 129. Nunc testes accedunt lapides.

Utrius anni sit Crateri frg. 16, non apparet: Chalceatae titulis testibus tributa perpetuo solvunt, Chalcetorenses solvunt tributa usque ad annum 440/39, deinde iterum anno tituli J. G. A. I. suppl. 272 g. Certe Chalceatarum nomen C. J. A. I. 37 in Jonicae provinciae laterculo est supplendum.

Adramyttios quoque ab Atheniensibus censitos esse Cratero[15] teste Stephanus Byzantius p. 715 Mein. est auctor: hoc Crateri fragmentum decreti esse posterioris a Cratero allati conicias: nam Delii hieme 423/22 Delo ab Atheniensibus expulsi Adramyttii habitant: Thuc. V. 1. VIII. 108. Neque in titulo C. J. A. I. 37 neque in sexagesimarum titulis nomen Adramyttiorum servatur.

Marcaei quoque et Hessii[16] (Steph. Byz. s. v. *Μάρκαιον* p. 715 Mein.) sunt Joniciae provinciae neque diiudicari potest, utrius sit anni Crateri fragmentum, quod Marcaeorum Hessiorumque nomina exhibet. Id quod cadit in Scepsios[17] quoque et Dauniotichitas (Steph. Byz. p. 715) Hellespontios socios, in Stagiritas et Thrambaeos[18] (Steph. Byz. l. c.) Thracios socios, in Diritas[19] Thracios (Steph. Byz. p. 716).[20]

Craterus frg. 4 (Muell.) ex Harpocratione s. v. *ναυτοδίκαι*[21] affert partem plebisciti: *ἐὰν δέ τις ἐξ ἀμφοῖν ξένοιν γεγονὼς φρατρίζῃ, διώκειν εἶναι τῷ βουλομένῳ Ἀθηναίων οἷς δίκαι εἰσί, λαγχάνειν δὲ*

---

15. traditur *Κραστινος* pro *Κρατερος*: emend. Meineke.

16. traditur *Μαρχαιισσιοι* (*οι* superscr.): correxit Boeckhius.

17. Stephanus Byzantius exhibet formam *Σκέμψιοι*, tituli formam *Σκάψιοι*. Scepsios Troadis esse Rangabé cognovit, probavit Fraenkelius in Boeckhii Staatshaush. d. Athener[3] II. p. 483, 1.

18. *Στραμβαιοι* exhibet Steph. Byz.

19. Diritas (*Δειρή*) eosdem esse atque *Δερραίους* apparet, quos Herodotum *Δερσαίους* nominasse (VII. 110; Thuc. II. 101 eidem nominantur;) auctor est Steph. Byz. s. v. *Δερραῖοι*. Statuit Meineke.

20. Crateri census decreti alterius annum iam recte statuit Keilius (Hermae 30, 217 not., ut hoc capite iam scripto cognovi. De fragmentis libr III. falso iudicat Keilius, de utriusque libri fragmentis errant Busoltius philol. 41, 713 sqq. Krechius l. c. Kirchhoffium (Hermae XI.) secuti.

21. De nautodicis v. C. J. A. I. 29. Lysiae *περὶ δημοσίων χρημάτων* (XVII.) 5. 8. e. gr.

τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ τοὺς ναυτοδίκας. (cf. Plutarch. Pericl. 37.) Neque dubitari potest, quin illius plebi anno 451/50 Pericle auctore sciti *μὴ μετέχειν τῆς πόλεως ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν ᾖ γεγονώς* (Aristot. Athen. pol. 26,4) pars sit illud frustulum a Cratero servatum.[22] Quod iam e forma decreti apparet: cum illo *ἐξ ἀμφοῖν ξένοιν γεγονώς* accurate convenit hoc *ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν γεγονώς*: eaedem sunt et dualium et vocabulorum formae. — Non est decreti frustulum a Cratero allatum Aristophontis psephismatis (Athen. XIII. 577 C.) anni 403/402: *ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι,* cui haec fere respondeant: *ἐὰν δέ τις νόθος ὢν* (aut *μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονώς*) *φρατρίζῃ κ. τ. ἑ.,* neque Nicomenis est psephismatis (schol. Aeschin. I. 39) *μηδένα τῶν μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα μετέχειν τῆς πόλεως, ἂν μὴ ἄμφω τοὺς γονέας ἀστοὺς ἀποδείξηται, τοὺς δὲ πρὸ Εὐκλείδου ἀνεξετάστους ἀφεῖσθαι,* quibus haec fere respondeant: *ἐὰν δέ τις τῶν μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα φρατρίζῃ μὴ ἄμφω τοὺς γονέας ἀστοὺς ἀποδεδειγμένος κ. τ. ἑ.* (praeter alia sunt pluralia non dualia).

Quae cum ita sint quod exhibet Harpocration *Κρατερὸς ἐν τῷ δ' τῶν ψηφισμάτων,* pro *δ' δευτέρῳ* est scribendum, cum in libro III. insit decretum anni 443/42 ergo in libro IV. decretum anni 451/50 inesse non possit.

---

22. Hoc verisimile esse statuit de Wilamowitz, Aristot. und Athen I. 223, 75.

IV.

De Thasiorum Galepsiorumque tributis.

Thasii annis 454/53 (C. J. A. I. 226) 452/51 (228) 451/50 (229) 449/48 (231) — tributum anno 449/48 (231) non plene solvitur, suppletur autem, quod restat anno 449/48, anno 447/46 (233) — tria talenta tributum dant, inde ab anno 444/43 (236), quantum scimus, triginta talenta.

Propter Thasiorum Thracia metalla et emporia anno 465/64 (schol. Aeschin. II. 31) bellum inter Athenienses et Thasios oritur; Thasios Thraciis metallis et agris cedere condicio est pacis anno 463/62 inter Athenienses Thasiosque factae: Thuc. I. 100. 101. cf. Herod. VI. 46.

Eo anno, quo Thasii primum pro tribus talentis triginta talenta tributum dederunt, Athenienses partem agrorum metallorumque Thraciorum Thasiis reddidisse iam dudum est cognitum.[1]

Id quod firmatur Galepsiorum tributis. Galepsus Thasiorum est colonia: Thuc. IV. 107,3. V. 6,1. Tributum solvunt Galepsii usque ad annum 446/45 titulis testibus unum talentum tria milia drachmarum, anno 443/42 tria milia tantum drachmarum. Galepsiis anno 463/62 partem Thasiorum agri Thracii cessam esse, redditam esse Thasiis anno 445/44 elucet.

Anno 445/44 magnam partem agri Thasiis redditam esse dicimus: nam anno 445 pax triginta annorum facta est inter Lacedaemonios et Athenienses.

---

1. Cognovit Kirchhoffius Tributpflichtigkeit der Attischen Kleruchen p. 15.

Cur Thasiis partem agri reddiderint Athenienses, nunc iam apparet: est condicio, sine qua Lacedaemonii pacem facere nolunt.

A Thasiis Atheniensium exercitu annis 465/64—463/62 (schol. Aeschin. II. 31. Thuc. I. 100) obsessis in Atticam incurrere iussos Lacedaemonios hoc auxilium Thasiis promisisse a Thucydide I. 101 recte tradi probant sexagesimarum tituli. Helotes diutius traxerunt bellum anno 468 ortum (Thuc. I. 103,1. schol. Aristoph. Lysistr. 1146) quam Lacedaemonii exspectaverant: itaque Thasiis promissum non praestiterunt Lacedaemonii.[2] Sed curasse anno 445 Lacedaemonios, ut Thasiis, quibus viginti fere annis ante auxilium promiserant, status sublevaretur, lapidibus nunc docemur. Haec condicio pacis triginta annorum exstitit neque a

---

2. Terrae motu belloque Messeniaco Lacedaemonios prohibitos esse, quominus Thasiis promissum praestarent, tradit Thucydides. Unde terram quoque motam esse Messeniosque a Lacedaemoniis defecisse anno 465/64 facile conicias. — Thasios anno 465/64 defecisse (schol. Aeschin. II. 31) testis est etiam Thucydides IV. 102. (Aristagoram non ante annum 497 in Thraciam advenisse Herod. V. 124/26 sequitur e Herodoti narratione V. 36—38; 97—126; VI. 1—21. Jonico bello annos dat Herod. VI. 18 cll. VI. 31. 42/43. 46. 95.) Decimo anno bellum Messeniacum a Lacedaemoniis finitum esse tradit Thucydides I. 103,1. Numerus firmatur cum a Diodoro XI. 64,4 (Thucydides *δεκάτῳ ἔτει*, Diodorus *δέκα ἔτη*) tum scholio Aristoph. Lysistr. 1146, quod anno 468/67 terram motam esse bellumque Messeniacum ortum esse testatur. Ergo Thucydides, quod eiusdem anni atque Thasiorum rebellionem terrae motum Messeniacumque tumultum fuisse significare videtur I. 100, 101, se ipse refutat I. 103,1 nam nulla significatione violati ordinis temporum facta (*προσεχώρησαν δὲ καὶ Μεγαρῆς Ἀθηναίοις ἐς ξυμμαχίαν*) ordinem temporum Thucydidem I. 103 magnopere violasse nullo modo statui potest. Megarenses autem Atheniensium facti sunt anno fere 461. E Thucydidis neglegentia I. 101, 2 errores nati sunt Pausan. IV, 5, 6 et Plutarch. Cimon. 16. (cf. Diodorum XI. 48. XII. 35. Thuc. III. 1. 26. 89. v. Meyerum Chronologie der Spartan. Königshäuser im V. und IV. Jahrh. Forsch. z. alt. Gesch. II. p. 502 sqq. inprim. p. 506 sqq.) Solus de his verum vidit Wilamowitzius Aristot. u. Athen II. 291 sqq. 295/96. Errant Meyerus Gesch. d. Altert. III § 294 et Busoltius Griech. Gesch. III. 1. p. 200. p. 202 not. p. 298 not. 2. Neque numerum Thuc. I. 103,1 corruptum esse neque Thucydidem I. 103 ordinem temporum violasse ullo modo statui potest, neque schol. Aristoph. Lysistr. 1146 tali modo explicatur.

Thucydide neque ab alio tradita attamen non levis momenti. In societatis Deliacae Atticae rebus domesticis, ut ita dicamus, Athenienses talia concedunt Lacedaemoniis: unde fideles esse amici videntur sociis Atheniensium Lacedaemonii: ferunt Thasiis auxilium etiam viginti annis post promissum factum. Hac quoque de causa Aeginetae anno 432 Lacedaemonem legatos mittunt clam Atheniensibus Thuc. I. 67,2, hac quoque de causa Lacedaemonii Athenienses Potidaeae obsidionem solvere iubent, Aeginetarum rei publicae deinde omnium Atheniensium sociorum libertatem poscunt Thuc. I. 139. 1. 3. Hac quoque de causa Mytilenaei anno 428 auxilium petunt a Lacedaemoniis Thuc. III. 9, iam antea pacis temporibus auxilium petiverant a Lacedaemoniis rebellionem parantes.[3]

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin Galepsii, quorum nomen sexagesimarum tituli exhibent, sint Galepsii Thasiorum coloni (Thuc. IV. 107. [Scylax] 67, Marsyas minor apud Harpocrat. s. v. Galepsus, Heraclides aut Philostephanus apud Harpocrat. s. v. Stryme) non Galepsii in Sithonia habitantes (Herod. VII. 122).[4] Neque enim Galepsus ab Herodoto nominata eadem est atque Galepsus, quam Thucydides nominat.[5] Illa quidem inter Toronen et Sermylen i. e. in ora occidentali Sithoniae sita est, (neque quomodo eo Thasii coloniam deduxerint, intellegitur,) haec haud dubie inter Strymonem et Nestum in ora Aegei maris Thaso adversa prope Oesymen est sita.

Et quod Galepsii anno Hellenotamiarum 12 (442/41) tria milia drachmarum dant tributum, annis 19 (244) 27 (256) 28[6] (257) mille tantum drachmas, vix nobis curandum est. Si est nobis curandum Galepsiorum tributum denuo minutum, cum eo coniungi potest, quod in ea Thraces regione, in qua Galepsus

---

3. Busoltium philol. 41, 710 et Meyerum Gesch. d. Altert. § 295 falso de Thasiorum tributis auctis iudicare iam apparet.

4. Errat de hac re Kirchhoffius l. c. p. 16.

5. Id quod statuit Busoltius philol. 41, 663 sq.

6. De tituli C. J. A. I. 257 anno vide quae cap. IV. a disputabimus.

sita esse statuenda est, Cystiriorum[7] civitas anno 437/36 (243) *ἄτακτος* tributum solvit. Si vis cum Galepsiorum tributo anno 19 denuo minuto coniungere potes, quod Pistasus et Pleume — ubi Thraces[8] Pistasii et Pleumenses habitarint, plane nescimus, — anno 437/36 haec *αὐτὴ φόρον ταξαμένη* illa *Πόλεων ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν* facta est. Nam in titulo anni 18 (C. J. A. I. 243) v. VI. 17 e C. J. A. I. 37 y *Πλευ[μῆς]*[9] et in titulo anni 19 (C. J. A. I. 244) e titulo anni 18 post Chedrolios v. II. 84 [*ΔΓͰIIII Πλευμῆ*]ς[10] est supplendum, ita ut anno 19 eaedem civitates (etiam numero eaedem) sint *αὐταὶ ταξάμεναι* atque anno 18. Et in titulo 19 C. J. A. I. 244 v. II. 93 *ΓͰͰͰII* [*Πίστασος*] e titulo anni 18 supplendum esse apparet: pars tituli 19, quae exhibuit *ΓͰͰͰIII Ὄθορος*, plene deleta est.

Sed haec utut sunt, Galepsiorum tributum aut anno 19 aut brevi antea minutum non coniungendum est cum Sartaeorum tributo. Imo et quod Pilorii et quod Sartaei ipsi Atheniensibus ipsis tributum solvunt inde ab anno 18, cum Sermyliorum tributo minuto coniungere non dubitamus.

Etiam anno 27 Galepsii tributum solverunt, cum Singii et Sermylii iam defecissent ab Atheniensibus pleno Thraciarum civitatum huius anni laterculo teste. Si in titulis nominati Galepsii sint Sithoniae Galepsii, anno 27 Galepsios nondum ab Atheniensibus defecisse, quamquam Singii et Sermylii iam defecissent, quamquam Sarte Galepsiis erepta esset, vix statui possit.

Neque quominus Galepsios in sexagesimarum titulis nominatos Thasiorum esse colonos statuamus, obstat, quod nusquam in sexagesimarum titulis nominantur reliqua Thraciae oppida,

---

7. Cystirios eosdem esse atque Pystirios Herod. VII. 109 elucet. Cognovit Raugabé probarunt Boeckhius et Koehlerus. E Herodoto, ubi Cystirii habitent, scimus.

8. Pistasios et Pleumenses Thracias civitates fuisse de his e titulo C. J. A. I. 37, de illis e Stephano Byzant. s. v. *Βίβαστος* constat.

9. Adhuc *Πλεύ[μη]* suppletur.

10. Id quod supplere adhuc fugisse doctos miror. Ante . . . . . *Σ* sex litteris spatium exhibetur [*ΓΛΕΥΜΕ*]*Σ*.

quae usque ad bellum Atheniense Thasiorum sunt ut Oesyme Thuc. IV. 107 aut Stryme Herod. VII. 108:[11] haec oppida inde ab anno 463/62 usque ad annum 445 Atheniensium, inde ab anno 445 aut Atheniensium aut denuo Thasiorum fuisse statuendum est.

11. Id quod offendit Kirchhoffium l. c.

IVa.

De titulis annorum 28 et 29.

Lapis primus sexagesimarum titulorum (C. J. A. I. 226—240) continet titulos annorum Hellenotamiarum 1—15, lapis secundus (C. J. A. I. 241—54) titulos annorum 16—23,[1] lapidis tertii (C. J. A. I. 255/56) latus adversum titulos annorum 24—26, latus dextrum titulum anni 27 (428/27), latus aversum ne laevigatum quidem est, latus sinistrum certe numquam scripturam exhibuit.[2] Exstat quartus lapis (C. J. A. I. 257/58), cuius latus adversum exhibet priorem, ut apparet, anno 30 (425/24) laterculum, — anno 425/24 sociorum Atheniensium tributa duplicata sunt: C. J. A. I. 37, — i. e. laterculum anni aut 28 aut 29; lapidis 257/58 latus sinistrum exhibet titulum anni fere 414,[3] latera dextrum et aversum nullam exhibent srcipturam.[4] Quintum quoque lapidem (C. J. A. I. 259) exhibere titulum anno 30 priorem i. e. anni aut 28 aut 29 constat.[5]

Dant Scionaei tributum anno 27 (C. J. A. I. 256) 4 talenta anno tit. C. J. A. I. 257 9 talenta, anno tituli 259 9 talenta; dant Toronaei anno 27 antecedentibusque annis 6 talenta, anno tit. 259 12 talenta; (tit. 257 non servatur numerus talentorum;) dant Aegantii anno 27 antecedentibusque annis 3000 drachmarum,

———————

1. Luculenter demonstravit Kirchhoffius comment. acad. Berol. 1870 sect. phil. hist. p. 89 sqq.

2. v. Kirchhoffium l. c. p. 102-104.

3. v. quae cap. VII. disputabuntur.

4. v. Koehlerum Urkunden und Untersuchungen z. Gesch. d. Delisch-Attischen Bundes p. 59.

5. Demonstravit Busoltius philol. 41,695 sqq.

anno tit. 259 3250 drachmas; (257 numerus drachmarum non est servatus;) dant Thrambei anno 27 antecedentibusque annis 1000 drachmas, anno tit. 259 1085 drachmas; dant Aeneatae anno 27 antecedentibusque annis tria talenta, anno tit. 259 1000 tantum drachmas; dant Sanaei anno 27 antecedentibusque annis unum talentum, anno tit. 259 1000 tantum drachmas. Unde iam ante Brasidae Thraciam expeditionem Toronaeos Scionaeos alios nescimus quomodo rebellasse, deinde eorum tributa aucta esse, hac quoque de causa eos ad Brasidam defecisse sequitur.

C. J. A. I. 259 exhibet plenum laterculum Thraciarum civitatum; desunt C. J. A. I. 259 eorum, qui anno 257 (prioribusque annis) tributa dant, Neopolitae ad Antisaram habitantes Bergaei Galepsii. Quos anno tituli 259 aut iam defecisse aut certe tributa dare iam noluisse sequitur: (inprimis Galepsii Thasiorum coloni, iam antequam ad Brasidam deficiunt, Thuc. IV. 107,3, tributum non dant.) Unde apparet C. J. A. I. 257 esse anni 28 (427/26), C. J. A. I. 259 esse anni 29 (426/25.).

Annorum 1—29 (454/53— 426/25) sexagesimarum titulorum omnium ordinem nunc iam scimus.

V.

De Erythraeorum et Clazomeniorum tributis.

In Koehleri titulo 91b[1] = C. J. A. I. 244 legitur:

·ΔΓ ΕΡΥΘ[ϱαιοι]
·⊢III ΚΑΙΧ[συντελες][2]
H ΜΥΡΙ[ναιοι]
ΓΑΡΑ[Κυμεν].

Si suppletur

[Δ] ΔΓ Εϱυϑϱαιοι[3]
[⊢]⊢[⊢]II και χσυντελες,[4]

et numerus drachmarum, quas Erythraei tributum solvunt, — sunt 1500 drachmae, — probabilis fit et numerus drachmarum, quas Erythraeorum ξυντελῆς solvunt: sunt 200 drachmae. Erythraei clientesque solvunt 1700 drachmas.

In Koehleri titulo 104[5] = C. J. A. T. 256 legitur:

—. ⊢II ΝΟΤΙΕΣ
ΔΓ⊢⊢⊢II ΕΡΥΘΡΑΙΟΙ
I ΜΥΡΙΝΑΙΟΙ
ΓΑΡΑΚΥΜΕΝ.

Si suppletur

---

1. Urkunden und Untersuchungen zur Gesch. d. Delisch-Attischen Bundes tab. VII.

2. supplevit Loeschkius de titulis aliquot Atticis. cf. J. G. A. suppl. I. p. 175. num. 272 d. C. J. A. I. 233, frg. 51 init.

3. Numerum suppleo.

4. Numerum supplevit Kochlerus.

5. l. c. tab. VIII.

[ΔΔ]Δ[⊢⊢]⊢II *Νοτιες*[6]
[Δ]ΔΓ ⊢⊢ ⊢II *Ερυθραιοι*[7]
[H] *Μυριναιοι*
παρα Κυμην[8],

Erythraei solvunt tributum 1700 drachmas, quarum drachmarum 1500 Erythraeos ipsos 200 clientes solvisse apparet e titulo C. J. A. I. 244.

Erythraeos et anno 436/35 (C. J. A. I. 244) et anno 428/27 (C. J. A. I. 256) has paucas drachmas — et eandem summam drachmarum et hoc anno et illo — praeter tributum regulare solvisse non est statuendum. Imo his annis — et certe praeterea annis 435—428— hae 1500 drachmae Erythraeorum sunt plenum tributum. — Ante annum 439/38 Erythraei tributum dant 7 talenta quotannis, anno 450/49 (C. J. A. I. 230) et, ut statuendum est, sequente triennio vel 8 talenta 3300 drachmarum.

Ergo anno 436/35 sequentibusque annis et, ut statuendum est, etiam annis 439—36 Erythraeorum tributum magno opere est minutum: vicesimam octavam tantum partem prioris tributi solvunt.

Erythraeorum ξυντελῆς, quin sint Butheenses Elaeusii Polichnaei Pteleusii Sidusii, dubitari non potest. Qui solvunt anno 15 ex. gr. Butheenses 1000 drachm. Elaeusii 100 drachm. Polichnaei 4000 drachm. Pteleusii 100 drachm. Sidusii 500 drachm. i. e. quinque Erythraeorum clientes solvunt anno 15 5700 drachmas; annis 436/35 et 428/27 solvunt 200 drachm.; i. e. clientes quoque Erythraeorum solvunt vicesimam octavam tantum partem prioris tributi.[9]

---

6. suppl. Koehlerus l. l. p. 57.
7. suppleo.
8. supplet Koehlerus l. l. p. 57.
9. Ergo falso supplevit Koehlerus (l. l. p. 155) tit. 244 [|Ξ]ΔΓ *Ερυθραιοι*, tit. 256 [|Ξ] *ΔΓ⊢⊢⊢II* *Ερυθραιοι* Erythraeos 3900 drachmas tributum solvisse statuens. Busoltium, quod aut [*X*] aut [|H] supplendum esse dixit, philol. 41, 678, 19, valde errasse apparet; si 10 aut 5 talentorum sunt numeri, praeterea 900 esse numerum drachmarum et hoc anno et illo nullo modo statuendum erat. Neque Busoltio pro *γ[συντελες]* a Loeschkio iam recte suppleto falsum *χ[αλκιτις]* denuo erat supplendum.

Clazomenii usque ad annum 443/42 (C. J. A. I. 237), quantum scimus, tributum quotannis solvunt 1 talentum 3000 drachmarum. Anno tituli C. J. A. I. 251 frg. 20 — est anni aut 431/30 aut 430/29 aut 429/28[10] — Clazomenii solvunt tributum 15 talenta i. e. solvunt decemplex tributum, si norma est tributum usque ad annum 443/42 solutum.

Erythraeorum tributum magno opere minutum ad Clazomeniorum finitimorum tributum magno opere auctum referendum esse elucet. Post Samium bellum Erythraeos fere toto agro Clazomeniis cessisse statuendum est.

Quod probatur titulo J. G. A. I. suppl. p. 175 num. 272 d. Est anno 426/25 recentior: id quod apparet e magnis pecuniis a Clazomeniis Erythraeis Polichnitis solutis. Clazomenios hoc anno — iam duplicata sunt tributa — tria fere talenta Erythraeos 14 fere talenta solventes e titulis anno 439/38 antiquioribus, Clazomenios triginta fere talenta Erythraeos 3000 fere drachmarum pendentes e titulis anno 440/39 recentioribus exspectamus. Solvunt hoc anno Clazomenii 6 talenta tributum Erythraei 12 talenta. Unde post annum 428/27 Erythraeis maiorem partem agri a Clazomeniis redditam esse sequitur.

Multa post bellum Samium in Jonica provincia novantur: Caricae civitates, quae non Persarum fiunt, cum Jonicis civitatibus coniunguntur; Phocaeensium nomen e titulis sexagesimarum evanescit; anno 436/35 (C. J. A. I. 244) nonnullae Jonicae civitates — eae, quarum nomina in lacunis suppleri non possunt,[11] — tributa non solvunt; eodem anno Ephesiorum Oenoensium Pitanensium[12] Astypalaeorum Cherronesiorum (Caricorum) Lindiorum Pediensium Myndiorum[13] tributa aucta exhibentur; titulus anni 27 (428/27) tributa Pygalensium Myusiorum Grynensium aucta exhibet: anno

---

10. v. quae cap. Va disputabuntur.

11. demonstavit Busoltius philol. 41, 678 sqq. 684 sqq. Dolendum est, quod in titulo a Koehlero Hermae 31, 137 sqq. publici iuris facto anni 439/38 sexagesimarum civitatum Jonicarum drachmarum numeri sunt mutilati.

12. v. Busoltium l. l. p. 680.

13. v. Busoltium l. l. p. 686.

428 Mytilenaei ab Atheniensibus desciscunt, anno 427 Alcidae fit Jonica expeditio.

Erythraei primis lustris societatis Deliacae Atticae non fideles sunt Atheniensium socii: C. J. A. I. 9–11. Post bellum Samicum cedunt toto fere agro, qui Clazomeniorum fit. Colophon anno 430 a Persis expugnatur. Thuc. III. 34. Deinde Erythraeis iterum fere totus ager redditur, quem Erythraei Clazomeniis cesserant. — Postea Erythraei Atheniensium sunt inimicissimi: hieme 413/12 Erythraei praeter omnes una cum Chiis legatos mittunt ad Lacedaemonios rebellandi causa: Thuc. VIII. 5. Jonum primi anno 412 Chii et Erythraei desciscunt ab Atheniensibus: Thuc. VIII. 14.

Clazomenii anno 412 non tam inimici sunt Atheniensibus: Clazomenii quoque post Chios Erythraeosque desciscunt ab Atheniensibus: Thuc. VIII. 14, sed eodem anno rursus fiunt Atheniensium VIII. 23. Deinde iterum Lacedaemonios sequi iussi iterum ab Atheniensibus desciscere nolunt et feliciter se defendunt contra Astyochum: VIII. 31. Et certe usque ad hiemem 411/10 Atheniensium sunt socii: Xen. Hell. I. 1, 10. 11.

Va.

De Colophoniorum tributis.

Anno 430 Itamenes Colophonem expugnat, Notium fugiunt Colophoniorum Atheniensibus fideles. Thuc. III. 34. — Ante annum 430 Colophonii quotannis solvunt unum talentum tria milia drachmarum tributum. Annis titulorum C. J. A. I. 250 frg. 19, 251 frg. 20, 262 Colophonii tributum solvunt 500 drachmas; C. J. A. I. 262 anno 425/24 est recentior. Quin Colophonii 500 drachmas solventes sint Colophoniorum exules ab Itamene Colophone expulsi Notii habitantes, dubitari non potest.[1] Unde titulos C. J. A. I. 250 et 251 anno 432/31 recentiores esse apparet, quos titulos anno 425/24 antiquiores esse constat. Neque fragmenta C. J. A. I. 250. 251 sunt tituli C. J. A. I. 256 (anni 27) neque tit. C. J. A. I. 257 (anni 28) neque tit. C. J. A. I. 259 (anni 29).[2] Ergo sunt tituli C. J. A. I. 250. 251 annorum 24—26 (431/30—429/28) i. e. sunt lateris adversi tituli C. J. A. I. 255/56.[3]

---

1. Cognovit Boeckhius Staatshaushaltung der Athener³ II. p. 454/55.
2. vide cap. IVa disputata.
3. Cum eis, quae statuimus, optime congruit, quod Koehlerus adnotat: diese letztere (scil. quarta columna tit. C. J. A. I. 255) enthielt karisch-ionischen Tribut.

VI.

Πόλεις ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν.

Exstant sexagesimarum titulis testibus inde ab anno 18 (C. J. A. I. 243) 437/36 usque ad annum 28 (C. J. A. I. 257) 427/26, quantum scimus, — non post annum 426/25 — haec civitatum Atheniensium rei publicae sociarum genera: *πόλεις αὐταὶ τὸν φόρον ταξάμεναι* et *πόλεις ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν*. Ubique haec genera civitatum coniunguntur; neque enim dubitari potest, quin C. J. A. I. 253 frg. 22 Sartaei et Amorgii[1] et C. J. A. I. 257 Pleumenses[2] Amorgii Aeolitae sint *πόλεις αὐταὶ ταξάμεναι*.

Anno 439/38 — in titulo huius anni 16 Sermyliensium nomen periit, attamen quin hic quoque titulus *HHHH*𐅄 *Σερμυλιῆς* exhibuerit, dubitari non potest, — cum aliarum civitatum tum Sermyliensium tributum minuitur: solvunt Sermylienses ante annum 439/38 5 talenta post hunc annum 4 talenta 3000 drachmarum tributum. Eodem tempore augentur — partim magno opere augentur — tributa Sanaeorum Asseritarum Mecybernensium Stoliorum Spartoliorum, magnopere inprimis augentur tributa Mendaeorum (solvunt 8 talenta solverant antea 5 talenta) Scionaeorum (solvunt 15 talenta antea solverant 6 talenta) Potideatarum, (quorum tributum augetur certe anno 436/35; solvunt inde ab hoc anno 15 talenta, solverant antea 6 talenta).

In titulo anni 17 (438/37), qui titulus Thraciarum civitatum laterculum plenum exhibet, Aeniorum Stoliorum Scapsaeorum nomina non exhibentur, in titulo anni 19 (436/35), qui titulus

---

1. Quorum nomina certa coniectura supplentur.
2. *Π[λευμῆς]* supplendum esse apparet; suppleo.

item laterculum Thraciarum civitatum plenum exhibet, non exhibentur nomina Aeniorum Stagiritarum Stoliorum Sermyliensium Aphytaeorum Scionaeorum Mendaeorum Toronaeorum.

Quae fere omnes civitates postea aut anno 432 Potideatibus ducibus aut Brasida auctore anno 424 aut 423 ab Atheniensibus desciscunt.

Quibus de causis iam Samii belli temporibus aut brevi post nescimus quomodo multas Chalcidicas civitates contra Athenienses rebellasse aut rebellare conatas esse pro certo est habendum, quamquam nihil de his tradit Thucydides.

Quo tempore talia in Chalcidica novari incipiuntur, primum exstant *πόλεις αὐταὶ τὸν φόρον ταξάμεναι* et *πόλεις ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν,* quarum civitatum fere omnes Thraciae sunt provinciae pleraeque Chalcidicae.

Parva oppida Aeolitarum[3] Milcoriorum[4] Sartaeorum Piloriorum Cleonaeorum Siniorum Tindaeorum Cithasiorum Smillaeorum Gigoniorum Haesaeorum omnia in Chalcidica sita ante annum 437/36 imperii Attici non fuisse, cum sexagesimarum titulis testibus multa minora Chalcidicae oppida, omnia magna Chalcidicae oppida fuerint Atheniensium, statui non potest.

Quae cum ita sint Chalidicae civitates certe tres, cur *αὐταὶ τὸν φόρον ταξάμεναι* factae sint, non aliter explicari potest nisi hoc modo: sunt hae civitates, priusquam *αὐταὶ ταξάμεναι* fiunt, clientes maiorum civitatum, quae et suum et clientium tributum solvunt. Post annum 441 primum hae civitates maiores, cum dicto non audiant, ita puniuntur ab Atheniensibus, ut minores civitates maioribus obnoxiae — et eae, quas maiorum civitatum legitime esse negari possit, — Atheniensium ipsorum sociae fiant per

3. Apud Stephanum Byzant. s v. *Αἰόλειον* pro *Ἀττικῆς Ἀκτῆς* est scribendum, cum Aeolium Chalcidensium oppidum fuisse dicatur. Corrigo; (cf. Thuc. IV. 109. V. 35,1 quem locum Meinekius emendavit.) Apud Steph. Byz adhuc *Βοττικῆς* coniciunt.

4. Milcorii in Chalcidica habitant: Steph. Byz.: *Χαλκιδικὴ πόλις ἐν Θράκῃ.* Prope Maroneam aut prope Aenum Milcorios habitasse e titulo C J. A. I. 242 nullo modo sequitur.

Athenienses, eas clientulas maiorum civitatum esse solemniter negetur eisque, ut tributum suum ipsae censeant, per leges permittatur. (Id quod de Galaeis quoque Pleumensibus Amorgiis Casiis Eteocarpathiis Callipolitis statuendum est.[5])

Quod non ubique fieri potest: nonnullarum maiorum civitatum sine ullo dubio legitime sunt clientes nonnullae minores civitates neque possunt Athenienses leges aperte evertere neque volunt.

Itaque legibus abutuntur Athenienses ita, ut leges aperte non violentur: has quoque minores civitates maiorum civitatum clientes Athenienses re vera socias sibi Atheniensibus ipsis faciunt: minores civitates ipsas apud senatum aut populum[6] Atheniensium

---

5. Omnia quae adhuc disputavimus, siquid luculente demonstravit Busoltius in illa commentatione philol. 41. p. 658—675. Egerant ante Busoltium de his oppidis Koehlerus Urkund. u. Unters. z. Gesch. d. Delisch.-Attisch Bundes p. 137 et Loeschkius de titulis aliquot Atticis p. 17, sed errarant de nonnullis.—De *πόλεσιν ἃς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν* verum docet Koehlerus, cur h a e civitates non aliae per privatos censitae sint, non curans. De quibus civitatibus haec Busoltius illa Loeschkius recte mihi disputare videntur. Se nescire, quae sint hae civitates, fatetur Meyerus Gesch. d. Altertums IV. p. 284.

6. Populum (*ἐκκλησίαν*) quoque praeter senatores et heliastos tributa censere statuendum est, quamquam a multis ex. gr. a Meyero et Busoltio negatur. Probatur titulo C. J. A. I. 37, qui est plebiscitum, in quo senatus census probuleuma citatur; probatur inde, quod Craterus in *ψηφισμάτων συναγωγῇ* affert duo census populi decreta; probatur tit. C. J. A. I. 38, in quo legitur *τὸ ψήφισμα τὸ τοῦ φόρου*; (cf. etiam Bannierum Athen. Mitteil. 1902 p. 301—304, nolo uti titulo J. G. A. I. suppl. num. 39a. nimis lacero. Neque obstat nostrae sententiae tit. J. G. A. I. 266: si solverunt civitates tributum a senatu censitum, e senatus probuleumate populum quoque tributum censuisse non diserte erat dicendum. Quo in tit. 266 sic legendum est: supplevit Koehler:

[*ΓΟΛΕΣ ΗΑΣ ΗΕ*] *ΒΟΛΕ ΚΑΙ ΗΟΙ ΓΕΝΤΑΚΟΣΙΟΙ*
aut *ΔΙΚΑΣΤΑΙ*
[*ΗΟΙΕΛΙΑΣΤΑΙΕΤ*]*ΑΧΣΑΝ*.

οἱ πεντακόσιοι οἱ ἡλιασταί fortasse oppositum esse significationi *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι* docuit me de Wilamowitz. *Ελιασται* sine H scriptum est C. J. A. I 37 v. 14 ibid. frg. f. g. v. 3. --

per privatos quosdam Athenienses — hos privatos esse cives Athenienses tenendum est: v. Andoc. de myster. (I.) 84; cf. Aristot. Ath. pol. 55,2;[7] — censendas curant, ita ut non una cum maioribus civitatibus, quarum clientulae fuerant, tributa solvant. Cuius census legitime ratio est reddenda his privatis census auctoribus, hos privatos (non publicos *τάκτας*) huius census causa accusare per leges licet maioribus illis civitatibus, quibus novo censu harum minorum civitatum nocetur. Sed re vera maiores civitates hos privatos non accusant, cum se causam apud heliastes perdituros esse persuasum habeant. (Quod *οἱ ἰδιῶται* dicitur in his titulis, significatur articulo *οἱ* eos privatos census esse auctores, qui in census decreto nominentur. In census decreto haec fere inerant: *[ὁ δεῖνα] εἶπε καὶ Κλεωναίους* [H *φέρειν [οἱ δεῖνες] Αἰσαίους καὶ Γιγωνίους καὶ Σμιλλαίους καὶ Κιθασίους καὶ Τινδαίους XXX φέρειν* etc.)

Earum civitatum, quae per privatos censentur, nescimus, cuius maioris civitatis clientes ante annum 18 fuerint Cleonaei.

Quod inde ab anno 18 Pilorii ipsi tributum solvunt Atheniensibus ipsis, Sermylienses puniuntur, ut verisimile est; (sunt Pilorii Sermyliensibus vicini Herod. VII 122;) nam Sermyliensium tributum his annis (C. J. A. I. 242. 243. 438/37. 437/36) minuitur, ita ut nonnullas alias quoque civitates Sermyliensium clientulas Sermyliensibus tunc ereptas esse statuendum sit.

Sinii, quos eosdem esse atque Sindios Herod. VII. 123 veri est simile[8], Haesonii Gigonii Smillaei Cithasii tunc Atheniensium clientes fiunt, ut statuendum est, ut puniantur Spartolii Stolii Potideatae, quorum tributa his annis augentur. Ergo lapidibis ea, quae de Potideatarum Chalcidensium Thraciorum Bottiaeorum anno

---

E quo titulo (266) apparet non omnes socios a iudicibus censitos esse neque huic obstat [Xenoph.] Athen. pol. 3,5. Docemur titulo 266 quingentos heliastas tributa ea, quae iudicibus censenda erant, censere solitos esse: *οἱ πεντακόσιοι οἱ ἠλιασταί.*

7. Demonstravit Koehlerus l. l. p. 66 sq. Falso Loeschkium et Busoltium negare apparet.

8. Statuerunt Rangabé Boeckhius.

432 rebellione tradit Thucydides, supplentur, cum titulis C. J. A. I. 243. 244 accuratius doceamur, quomodo Athenienses iam nonnullis annis ante ortum bellum Peloponnesiacum male habuerint Bottiaeos, Chalcidenses Thracios, Potideatas Corinthiorum colonos.

Chalcidensibus quoque Euboeensibus Athenienses anno 437/36 Diacrenses per privatos eripiunt; id quod anno 445 nondum factum erat. Anno 445 Chalcidensibus partem clientium partemque agri ereptam esse negari non potest,[9] nam Chalcidenses ante annum 445 decem talenta tributum solvunt, post hunc annum tria tantum talenta: v. titulum Hermae 31,137 sqq. publici iuris factum. Hoc ex eis quae tradunt sexagesimarum laterculi, sequitur: traditur apud Plutarchum Pericl. 23. — Tunc colonias Eretriam et Chalcidem deductas esse e sexagesimarum titulis verisimile fit; sed coloniae Eretriam et Chalcidem deductae, quibus testes sunt Andocides de pace 9, C. J. A. J. 339, referri possunt si vis ad annum 424/23, quo anno Atheniensium expeditionem in Euboeam factam testatur Philochorus (schol. Aristoph. vesp. 718), cui accedit testis Aristophanes ipse vespar. 715 sqq.

Syme per Athenienses privatos Cnidiis aut Jelysiis eripitur, (Cnidiorum tributum anno 439/38 sqq. minuitur, Jelysiorum augetur, ut verisimile est, iam ante annum tit. C. J. A. T. 250 frg. 19, qui titulus est annorum 431/30-429/28.)

Casii et Eteocarpathii tunc primum ipsi tributum censent sicut Amorgii, quos antea Samiorum fuisse e sexagesimarum titulis veri fit simile.[10]

Bysbicus Byzantiis eripitur aut — si deficiunt belli Samii tempore una cum Byzanthiis Calchedonii ab Atheniensibus, — Calchedoniis: Byzantiorum tributum augetur his temporibus: C. J. A. I. 244. 436/35. Byzantii defecerant una cum Samiis, una cum

---

9. Statuit Koehlerus Hermae 31, 137 sqq.

10. Statuit hoc de Amorgiis Kirchhoffius Tributpflichtigkeit der Attischen Kleruchen p. 22,4, quem sequitur Busoltius philol. 41, 663. De Symaeis Casiis Eteocarpathiis Busoltius philol. 41, 686 similiter iudicat atque ego iudico.

Samiis Atheniensium imperio iterum subiecti erant. Thuc. I. 115,5. 117,3. Calchedoniorum tributum minuitur post bellum Samium: C. J. A. I. 244. — Callipolitas quoque, quos tributum solventes tunc primum exhibent tituli, (ipsi Callipolitae tributum censent,) antea Byzantiorum fuisse veri est simile.[11]

---

11. Statuit haec fere de Bysbiciis et Callipolitis Busoltius philol. 41, 694.

VII.

De tituli C. J. A. I. 258 anno.

Anno 425/24 Atheniensium sociorum tributa duplicata esse non tradit Thucydides; tradit VII. 28,4: *τὴν εἰκοστὴν ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον τῶν κατὰ θάλασσαν ἀντὶ τοῦ φόρου τοῖς ὑπηκόοις ἐποίησαν* Athenienses anno 413 i. e. primo anno belli Deceleici Thuc. VII. 19. tertio anno belli Siciliensis.

Aristophanes ranarum parabaseos versu 363 anno 405 aut brevi antea Aeginae *εἰκοστολόγον* fuisse testatur.

Ergo vicesimae pro tributis usque ad finem belli Peloponnesiaci exiguntur.

Quod quominus statuamus, non prohibemur pactione illa inter Athenienses et Chalcedonios, quos obsederant Athenienses, anno 409 facta Xenoph. Hell. I. 3,9 *ὑποτελεῖν τὸν φόρον Χαλκηδονίους Ἀθηναίοις ὅσονπερ εἰώθεσαν καὶ τὰ ὀφειλόμενα χρήματα ἀποδοῦναι*, si Athenienses obsidionem solverent. Neque enim e Niciae pacis paragrapho Thuc. V. 18,5 *τὰς δὲ πόλεις* (Argilum Stagirum Acanthum Stolum Olynthum Spartolum) *φερούσας τὸν φόρον τὸν ἐπ' Ἀριστείδου αὐτονόμους εἶναι* anno 421 socios omnes Atheniensium tributum ab Aristide censitum non duplicatum anno 425/24 tributum solvisse sequitur,[1] neque ex illo loco Xenophon-

1. Neque ex Aristidis tantum censu tributa ab omnibus sociis iterum exigenda esse pro tributis duplicatis pacis est condicio, cum de talibus nihil insit in pacis decreto Thuc. V. 18. 19; imo inde, quod soli Acanthii ceterique tributa ex Aristidis censu pendere iubentur, Lacedaemonios de ceterorum Atheniensium sociorum tributis quieta movere noluisse sequitur. Etiam post Niciae pacem tributa duplicata soluta esse testis est Andocides de pace (III.) 9. v. Belochium mus. Rhen. 39 p. 43.

eo iam anno 409 multos socios iterum tributa pro vicesimis solvisse. Diserte dicitur neque Thucydideo loco privilegium esse, quod Argilii Acanthii ceterique non duplicatum tributum, sed tributum tantum ab Aristide censitum dare iubentur, neque Xenophonteo loco, quod tributum tantum pendere iubentur Chalcedonii pro vicesima cf. Thuc. VII. 28,4. Nisi Lacedaemonios aliosque tributa anno 425/24 non legitime duplicata esse iudicasse nihil sequitur e loco Thucydideo, nihil e Xenophonteo nisi Pharnabazum aliosque vicesimas pro tributis exactas non legitimas habuisse; et Lacedaemonios Pharnabazumque recte iudicasse silentio concedunt Athenienses ipsi Xenophonte Thucydideque testibus eo, quod anno 421 illas Thracias civitates ex Aristidis censu tributa solvere iubent, anno 409 Chalcedoniis tributa pro vicesimis pendere concedunt.

Ut Thraciis illis sociis ita Chalcedoniis alia quoque privilegia conceduntur. Nam Byzantium capere Athenienses properant, itaque Chalcedonem antea vi capere non possunt. Itaque rex arbiter fiet. Milites Atheniensium in urbem intromittere non iubentur Chalcedonii, Athenienses Chalcedonem aggredi vetantur. Poterunt Chalcedonii bellum denuo incipere, si rex cum Atheniensibus pacem non fecerit.

Neque quominus inde ab anno 413 usque ad annum 405 socios Atheniensium exceptis inde ab anno 409 Chalcedoniis vicesimas pro tributis solvisse statuamus, obstat titulus C. J. A. I. 258. Neque enim *αἵδε πόλεις κατα[τ]ελοῦσι τὸν φορον* explicari potest haece urbes vectigalia (i. e. vicesimam) pendendo tributa solvunt i. e. vicesimam pro tributo solvunt.

Neque in illo Xenophonteo *ὑποτελεῖν τὸν φόρον* neque in hoc tituli *κατατελεῖν* ulla vicesimae mentio inest. Quomodo aliter atque *ἀπέδοσαν* aut *ἐτέλεσαν* aut *ὑπετέλεσαν* aut fortasse *ἤνεγκαν τὸν φόρον* tributum solverunt Graece exprimi potest? Et *κατατελεῖν τὸν φόρον* accurate dictum est: plene pendere tributum.

Offendit nos, quod non exhibetur aoristus *κατετέλεσαν τὸν φόρον* sed futurum *καταιελοῖσι*.[2] Contra normam Myrinaeos Im-

2. *κατατελοῦσιν* hic non est praesens: nusquam tali modo tributorum

brios Sestios Alopeconnesios huius anni tributa solvisse, si solverunt, futurum nos docet.

C. J. A. I. 258 vicesimae nulla fit mentio: hoc fragmentum anno 413/12, inde a quo anno pro tributis vicesimae exiguntur, antiquius esse concludendum est. Quod ut statuamus, cogimur eo quoque, quod Abydi nomen exhibet fragmentum.

Abydus initio aestatis 411 fit Peloponnesiorum. (Thuc. VIII. 61.) Est anno 405 Peloponnesiorum (Xen. Hell. II. 1,18), est Lysandro nauarcho 408/7 Peloponnesiorum (Hell. III. 1,9). Hieme 410/9 Abydum ab Atheniensibus non esse expugnatam ex Hell. I. 2,15 apparet. Si Athenienses hieme 410/9 Abydum expugnassent, Xenophon id tradidisset. Accedit, quod Athenienses anno 408 omnia Hellespontia oppida Abydo excepta cepisse apud Diodorum XIII. 68,1 traditur.[3]

Abydus Milesiorum colonia inde ab anno 411 ut Miletus ipsa inde ab anno 412 usque ad exitum belli ne per paucos quidem dies non est Peloponnesiorum; imo oppidum est, quo firmissimo in Hellespontia provincia praesidio utuntur Lacedaemonii, si bellum geritur in his regionibus, et bello Deceleico, quod vocatur, et bello Corinthio. Abydo classem trans Hellespontum in Chersonnesum transducit Mindarus post pugnam Abydenam ante pugnam Cyzicenam hieme 411/10 Xen. Hell. I. 1,11. Tunc Mindarus etiam Sestum occupasse statuendus est: Hell. I. 1,36. (cf. Hell. IV. 8,5.) Sed brevi temporis spatio post Sestus iterum fit Atheniensium: Hell. I. 1,11. Quo temporis spatio Lacedaemonios Sestum occupasse statuendum est, Clearchus Sestum appellit: Hell. I. 1,.63[4]

Neque, quod nonnullis *H* litteris vocalis η C. J. A. I. 258 significatur, (significatur in hoc titulo η vocalis et *H* littera et

---

sexagesimarum tituli tale praesens exhibent; aoristo uti necesse erat, si iam solverant hae civitates tributa. Ergo καταπελοῦσιν futurum est. Docuit me de Wilamowitz.

3. Diodori locum attulit Belochius mus. Rhen. 39 p. 45 not.

4. Id quod fugit adhuc doctos, ut videtur; nam multis coniecturis paragraphus Hell. I. 1,36 ornata est omnibus falsis.

E littera,) hic titulus anni est unius ex extremis belli Peloponnesiaci annis: nam in nonnullis titulis Atticis iam multis lustris ante Euclidem archontem nonnullae *H* litterae vocalem significant Jonicis litteris utuntur lapicidae.[5] Sed fragmentum C. J. A. I. 258, si non recentissimum sexagesimarum titulum, tamen unum e recentissimis belli fere Siciliensis temporum esse concedimus, cum in nullo alio sexagesimarum titulo nobis servato *H* littera vocalem significet.[6]

Anno, cuius est fragmentum C. J. A. I. 258, duae civitates Hellespontiae aliis Atheniensium magistratibus tributa dant, non Hellenotamiis. Duae civitates insularis provinciae et duae civitates Hellespontiae suo tempore tributa non solvunt. Novem tantum civitates Hellespontiae provinciae suo tempore tributa solvunt.

Nam titulus C. J. A. I, 258 plenum laterculum Hellespontiarum civitatum hoc anno tributa solventium exhibet: et potentissimarum civitatum Hellespontiarum fere omnium nomina in titulo C. J. A. I. 258 exhibentur, et titulus C. J. A. I. 261 plenum laterculum Hellespontiarum civitatum anno tituli C. J. A. I. 261 tributa solventium exhibet neque plures sunt quam tres civitates; neque titulus C J. A. I. 261 temporibus exeuntis belli Deceleici adscribi potest, cum titulus C. J. A. I. 258 huic tempori adscribi non possit.

Annus tituli C. J. A. I. 258 temporis est magnae calamitatis,

---

5. v. ex. gr. Meisterhansium Grammatik der Attisch. Inschrift.[3] p. 4. not. 17.

6. Xenoph. Hell. I. 3,9 cl. Thuc. V. 18,5 ita interpretatus, ut ego explico, titulum C. J. A. I. 258, quod Abydi nomen exhibeat nulla vicesimae mentione facta, anno 413/12 antiquiorem esse demonstrat iam Belochius in illis commentationibus de Atheniensium rei publicae pecuniarum historia scriptis die Bundessteuern mus. Rhen. 39. 1884, p. 45. Attamen et post annum 1884 titulus C. J. A. I. 258 a Busoltio Griech. Staats- und Rechtsaltertümer 1892 (Iwan Müller Handbuch IV. 1. 1.) p. 294,5 falso ut antea explicatus est. Itaque, quae ipse cognovi Belochii commentatione nondum adhibita accurate explicare non ab re visum est.

ita ut tres fere partes sociorum Hellespontiae provinciae aut pecunias iam dare non possint aut ab Atheniensibus iam defecerint.

Neque enim eas civitates Hellespontiae provinciae, quae anno tituli C. J. A. I. 258 tributa non solverint, hoc anno vectigalia e. gr. vicesimas pro tributis pependisse statui potest.[7]

Ante annum 413 vicesimas pro tributis exactas esse statui non potest.[8] Nam Aenios e. gr., quos vectigalia ante annum 413 solvisse statuitur, tributum pependisse diserte testatur Thucydides VII. 57,5. (*πρὸς δ'αὐτοῖς Αἰολῆς Μηθυμναῖοι μὲν ναυσὶ καὶ οὐ φόρῳ ὑπήκοοι Τενέδιοι δὲ καὶ Αἴνιοι ὑποτελεῖς* scil. *φόρον ὑποτελεῖς*, id quod et ex hoc loco et e paragrapho quarta et e Tenediorum tributis apparet.[9])

Aristophanis ranarum 363 anno 405 Atheniensium Aeginenses colonos sicut inde ab anno 413 socios quoque Atheniensium vicesimas pependisse docemur. Unde Atheniensium colonos non socios Atheniensium etiam ante annum 413 vectigalia solvisse sequitur.[10]

Et quod inde ab anno 439/38 nomina multarum civitatum Caricarum in sexagesimarum titulis non exhibentur ipsaque Carica provincia inde ab hoc anno non nominatur in sexagesimarum titulis, has civitates inde ab hoc anno vectigalia pro tributis solvisse statui non potest, sed has civitates belli Samii temporibus ab Atheniensibus defecisse ceterasque Caricas civitates inde ab hoc anno Jonicae provinciae adiunctas esse pro certo est habendum, quamquam haec soli lapides testantur.[11].

---

7. Id quod statuit Belochius mus. Rhen. 39, 38.

8. Statuit Belochius mus. Rhen. 39, 47.

9. In quarta paragrapho Samios quoque tributa solvisse trraditur neque sexagesimarum tituli obstant. Ergo errat Belochius l. l. p. 36.

10. v. cap. I. disputata.

11. Demonstravit Busoltius der Phoros der Athenischen Bundesgenossen philol. 41, 683 sqq. Quae Busoltius demonstravit, eo non labefactantur, quod Archidamii belli annis aut postea iterum tributa solvunt nonnullae Caricae civitates, quae antea defecerant, ad tributa iterum solvenda

Et quod Aenii usque ad annum Hellenotamiarum 15 (440/39) decem talenta tributum solvunt, anno 439/38 quattuor tantum talenta, deinde in titulis sexagesimarum Aeniorum nomen non exhibetur,[12] cum Maronitae, qui usque ad annum 440/39[13] 1 talentum 3000 drachmarum tributum solverant, inde ab anno 439/38 10 talenta solvant, cum Galaei anno 438/37 primum ipsi Hellenotamiis ipsis tributum solvant, — inde ab anno 438/37 Aenios vectigalia pro tributis solvisse nullo modo statui potest, sed Aenios, cum nescioquomodo in bello Samio Samios adiuvissent, Samiis

---

aut Melesandri hieme 430/29 expeditione Thuc. II. 69 aut Lysiclis expeditione hieme 428/27 facta Thuc. III. 19 aut Atheniensium Pylia victoria (425) censuque anno 425/24 duplicato commotae. Solvunt iterum tributa Archidamii belli temporibus J. G. A. I. suppl. 272a Ceramii 272g Parpariotae Idymenses Cyllandii Erinenses Hyromenses Chalcetorenes Lepsimandii Codapenses Cyrbissii. Quos titulos 272a et 272g annis 430/29 (C. J. A. I. 255), 429/28 (ibid.) 42/726 (C. J. A. I. 257) adscribendos esse verisimile non est: nam annis titulorum 272a et 272g Eteocarpathii non sunt *πόλις αὐτὴ ταξαμένη*, quos usque ad annum 427/26 ipsos suum tributum censuisse verisimile fit e titulis C. J. A. I. 243, 244, 253, 256, 257. Unde titulos 272a et 272g anno 426/25 recentiores esse verisimile fit, quorum optime congruit, quod C. J. A. I. 261 (huius quoque tituli anno Eteocarpathii ipsi tributum suum non censent,) temporis est belli Siciliensis. — Archidamii belli temporibus (anno 425/24) primum tributum. solvere inbentur hae Caricae civitates, (quantum apparet e titulis servatis,) C. J. A. I. 37: Tymnii Edrienses Ymissenses Celenderenses Telii Ityrii; solvunt primum tributum Archidamii belli temporibus aut postea: Telii (C. J. A. I. 264. J. G. A. I. suppl. 272a), Bricindarii Rhodi (262. 263.), ... *ΛΙΟΣΕΝΤΛ* . . . (272 c), . . *ΝΣ* . . (272g)) . . . *οι Καρες* (ibid.).

12. C. J. A. I. 242 v. 31 non [*Αἴνι*]*οι ἄτακτοι*, sed [*Γαλαῖ*]*οι ἄτακτοι* est supplendum, (supplevit Busoltius philol. 41, 665,) nam et res iubet hanc *ἄτακτον* civitatem esse Thraciam civitatem, quae sequente anno fiat *αὐτὴ ταξαμένη*, sicut Miltorii C. J. A. I. 242 *ἄτακτοι* sunt C. J. A. I. 243 *αὐτοὶ ταξάμενοι*, et litterae in tituli C. J. A. I. 242 v. V. 31 anguste scribuntur (sicut *Μιλτόριοι ἄτακτοι* VI. v. 31), ita ut quinque litteris lacuna exstet non quattuor litteris, quarum duae sint I: *ΛΑΓΑΙ* non *ΑΙΝΙ*. — In titulis annorum 17, 19, 27 Thraciarum civitatum nomina omnia certe leguntur.

13. Sic statuendum est, (quamquam sexagesimae drachmarum numerus annis 442/41—440/39 a Maronitis solutae non servatus est,) cum annis 441/40—440/39 Aenii decem solvant talenta.

devictis partem agri Maronitis sociis Atheniensibus fidelibus dare iussos anno 438/37 ab Atheniensibus defecisse statuendum est.[14] Neque anno 27 (428/27 C. J. A. I. 256) neque anno 29 (426/25 C. J. A. I. 259), quorum uterque titulus plenum Thraciae provinciae laterculum exhibet, Aenii dant tributum; his annis Maronitae iam tria tantum solvunt talenta; unde metu Odrysarum, qui his annis Maronitis quoque graves sunt hostes, ita ut maximam partem agri eis eripiant, Aenios permotos esse, ut Atheniensibus aestate 425 auxilia mitterent, (Thuc. IV. 28), iterum fierent Atheniensium socii, apparet. Aenios anno 415 Atheniensium esse tributarios Thucydides VII. 57 testatur. (Ante annum 425 per tria fere lustra Aenios non fuisse Atheniensium socios non tradit Thucydides IV. 28 neque alibi, attamen est statuendum.)

Neque quod C. J. A. I. 256 (anni 27, 428/27), qui titulus plenum laterculum civitatum Thraciarum exhibet, Potideatae Spartolii Stolii Olynthii Mecybernaei Sermylienses Singii Asseritae Strepsaei Scapsaei Phegetii non nominantur, hos Atheniensium socios hoc anno vectigalia pro tributis solvisse statuendum est, sed Potideatas, Chalcidenses Thracios, Bottiaeos anno 432 ab Atheniensibus descivisse ipse Thucydides tradit I. 58,1.[15]

Ergo quod in titulo C. J. A. I. 258 non nominantur Tenedii Proconnesii Selymbriani Perinthii fere omnes minores Hellespontiae civitates, has civitates anno tituli C. J. A. I. 258 vectigalia pro tributis pependisse statui non potest, sed has civitates hoc anno tributa debita non solvisse, sive quod pecunias dare iam non possent, sive quod iam ab Atheniensibus descivissent, negari non potest.

Ergo est hic titulus C. J. A. I. 258 aut exeuntis belli Archidamii temporum i. e. annorum 425—21 aut belli Siciliensis i. e. annorum 415—13.

---

14. Demonstravit Busoltius phil. 41, 664. Ergo ea, quae Meyerus Gesch. d. Altert. IV. p. 74 de Aeniis dicit, falsa sunt. Imo ne Odrysarum fiant, Aenii anno 425 iterum Atheniensium fiunt socii.

15. v. Koehlerum Urkunden und Untersuchung. z. Gesch. d. Del.-Att. Bundes p. 143.

Neque belli Archidamii temporum esse potest hic titulus. Nam et qui tituli sunt annorum 425—416 C. J. A. I. 260 (421/20), 262, 263, 264, 265, 266, J. G. A. I. suppl. 272 a b c d e f g insularis provinciae titulus Hermae 31, 147 sqq, solitas fere numero civitates annis 425—416 tributa pependisse testantur neque ullam *H* litteram pro vocali positam exhibent. Neque cum lapidis C. J. A. I. 255/56 latus adversum (255) exhibuerit laterculos annorum 24—26 (431/30—429/28), latus dextrum (256) exhibeat laterculum anni 27 (428/27), latera aversum et sinistrum nullam umquam exhibuerint scripturam, cum in lapidis C. J. A. I. 257/58 latere adverso (257) exstet laterculus anni 28 (427/26), in huius lapidis lateribus dextro et averso numquam scriptura exstiterit, cum in tabulae marmoris C. J. A. I. 259 latere adverso laterculus anni 29 (426/25) incisus exstet, cum tabulae marmoris C. J. A. I. 260 latera adversum et aversum exhibeant laterculum anni 34 (421/20), lapidis C. J. A. I. 257/58 latus sinistrum (258) titulum annorum 425/24—422/21 temporis exhibere ullo modo est verisimile.

Fragmenta C. J. A. I. 258 et 261 belli Siciliensis temporum esse sequitur. Quorum optime congruit, quod Tenediorum nomen non exhibet titulus C. J. A. I. 258: Tenedios ante annum 412 ab Atheniensibus defecisse neque usquam traditur neque ullo modo statui potest. Tenedios solos civitatum Hellespontiarum copias in Siciliam misisse tradit Thucydides VII. 57. Ea de causa Tenedios hoc anno tributum non solvisse apparet. Quos eadem de causa anno quoque, cuius est titulus C. J. A. I. 261, tributum non solvisse veri est simile.

Et possunt esse tituli C. J. A. I. 258. 261 aut anni 416/15 aut anni 415/14 aut anni 414/13.

Socios Atheniensium iam vere anni 415 tam multas pecunias in Alcibiadis Niciae Lamachi expeditionem impendisse, ut plurimi socii tributa solvere iam hoc anno non potuerint, vix est verisimile.

Jam aestate anni 415 hiemeque 415/14 Athenienses haud prospere res in Sicilia gerunt. Jam aestate 415 Alcibiades fugit

ad hostes. Sane vincunt Athenienses ineunte hieme 415/14 Syracusanos Thuc. VI. 66. 67, attamen iam novis copiis opus est, ut Athenienses ineunte aestate 414 Syracusas obsidere possint: mittuntur vere anni 414 Athenis ducenti quadraginta equites trecenti sagitarii trecenta talenta: Thuc. VI. 94.

Deinde per aliquot menses rem bene gerunt in Sicilia Athenienses Thuc. VI. 96—103, sed iam exeunte aestate 414 Gylippus efficit, ut sine magno novo exercitu Athenienses se victuros esse iam non sperent.

Itaque ineunte vere 413 Demosthenes Piraeo in Siciliam evehitur cum multis Atheniensium sociorumque copiis, quarum socii insulares Jonici Hellespontii Thracii plures quam Athenienses ipsi in Siciliam mittunt: Thuc. VII. 20 cll. 31, 33, 35, 42.

Unde hieme 414/13 — nova expeditio Siciliensis paratur, novus Lacedaemoniorum in Atticam incursus i. e. novum bellum Peloponnesiacum minatur — Atheniensium socios quam plurimas copias aut pecunias dare coactos esse statuendum est.

Ergo annorum 415/14 et 414/13 tituli C. J. A. I. 258 et 261 esse statuendi sunt.

Anno tituli C. J. A. I. 258 maiores Hellespontiae civitates—ne hae quidem omnes: desunt Selymbriani et Perinthii, — Chalcedonii Lampsaceni Byzantii Abydeni Cyziceni tributa solvunt: tributa anno 425/24 duplicata iam ne hae quidem civitates solvere possunt. E numero minorum Hellespontiarum civitatum perpaucae tantum tributa solvunt: *αἱ δὲ πρόσοδοι ἀπώλλυντο* Thuc. VII. 28,4.

Iam anno 432, quo anno Potideatae, Chalcidenses Thracii, Bottiaei ab Atheniensibus defecerant, et annis 424 et 423, quibus annis Brasidas Thracias civitates ad rebellandum excitaverat, Thraciae provinciae maior pars amissa erat Atheniensibus: ergo Thraciae provinciae tributa annis titulorum C. J. A. I. 258 et 261 maiora fuisse quam Hellespontiae provinciae vix statui potest; neque Jonicae provinciae tributa maiora tunc fuisse quam Hellespontiae provinciae statuenda sunt;[16] aliquanto maiora fuisse insularum tributa est statuendum: C. J. A. I. 37.

---

16. cf. quae infra disputabuntur.

Vectigalibus in parvis oppidis non multae pecuniae exiguntur, nam minima tantum in parva oppida importantur, minima tantum e parvis oppidis exportantur. Itaque quamdiu et minores et maiores sociorum civitates pecunias dare possunt, tributa exiguntur non vectigalia i. e. vicesimae. Nunc minorum civitatum perpaucae tantum tributa solvere possunt, ergo vicesimas pro tributis exigunt Athenienses, cum vicesimis in maioribus oppidis plus pecuniae exigi possit quam tributis.

Et annis 414 et 413 nonnullae civitates ideo iam tributa non solverunt, quod ab Atheniensibus brevi ante defecerant. Quae ut probemus, historici Thucydides et Xenophon adeundi sunt.

Primos Jonum aestate 412 Chios Erythraeos Clazomenios ab Atheniensibus defecisse, deinde Teios et Milesios tradit Thucydides VIII. 14/15. 16/18. Sunt viginti naves Chiae ad Dioshierum, advenit Diomedon, fugiunt undeviginti navium Chiarum Teum una Ephesum: Thuc. VIII. 19. Quid? Ephesus nonne est Atheniensium? Aestate 411 Tissaphernes Ephesi Dianae sacrificat: Thuc. VIII. 109. Aestate 410 (*τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει* Xen. Hell. I. 2,1: altero anno, non: sequente anno:) Thrasyllus Ephesum expugnare frustra conatur: Xen. Hell. I. 2, 6—12. Ergo non est Ephesus Atheniensium anno 412 Thuc. VIII. 19. Neque hieme 413/12 neque una cum Chiis et Milesiis aestate 412 Ephesii desciscunt ab Atheniensibus, nam quamvis lacunosus sit in rebus gestis enarrandis Thucydidis liber octavus,[17] Ephe-

---

17. Libri VIII. Thucydidei narrationem lacunosam neque perpolitam esse apparet et ex eis, quae de Jonicis civitatibus afferemus, et inde quod orationes directae desunt, (hoc quoque est indicium libri non perpoliti, cum alia indicia accedant,) et inde quod de Hellespontiarum civitatum ante Mindari adventum statu tacet Thucydides, cum Lysias in Eratosthenica (XII.) 42 anno 411 *ἐπὶ τῶν τετρακοσίων* classem Atheniensium in Hellesponto fuisse doceat cf. Aristoph. avium anni 414 testimonium v. 1028, et inde quod Thucydides his temporibus in Boeotia pugnatum esse non tradit, id quod testatur orator pro Polystrato [Lysias] (XX) 4, (de quibus Lysiacis locis v. Prenzelium de Thucydidis libro octavo quaestiones dissert. Berol. 1903. p. 20) et inde quod bis idem narratur in libro octavo: cap. 45=29; 82=86, id quod

siorum civitatem una cum Chiis defecisse ab Atheniensibus silentio non praeteriisset Thucydides, qui accuratissime tradit VIII. 35 ἡ δὲ (Cnidiorum civitas) ἀφειστήκει ἤδη ὑπὸ Τισσαφέρνους, VIII. 107, 1 οἱ ἐν Σηστῷ Ἀθηναῖοι ἐπέπλεον (anno 411 post pugnam Abydenam primam) ἐπὶ Κύζικον ἀφεστηκυῖαν. Et quo modo Chios Erythraeos Clazomenios tunc (anno 412) ab Atheniensibus defecisse compertum habuit Thucydides, ita tunc Ephesios quoque ab Atheniensibus defecisse compertum habuisset, si tunc defecissent Ephesii.

Themistocles a Graecis omnibus expulsus ad Persarum regem fugiens Ephesum appellit: Thuc. I. 137, unde tunc Ephesum nondum Atheniensium fuisse verisimile fit.[18] Inde ab anno 454/53 per multa lustra usque ad Archidamii belli tempora Ephesus est Atheniensium sexagesimarum titulis testibus. Post pugnam ad Eurymedontem commissam diutius Ephesus Persarum fuisse non est statuenda.[19] — Aestate 427 Alcidas prope Ephesi portum ancoras iacit: Thuc. III. 32. 33. Attamen Ephesus tunc est Atheniensium: vere huius anni 427 Ephesii solitum tributum solvunt C. J. A. I. 256. Si deinde aestate anni 427 Ephesii defecissent ab Atheniensibus, Thucydides id tradidisset, sicut Colophonem aestate 430 Persarum factam esse tradit III. 34,1. Sane ἐς τὴν Ἔφεσον καθωρμίσατο Alcidas Thuc. III. 32, 2, attamen Ephesus est Atheniensium, sicut aestate 411 ἐφώρμει ante Eresi portum Thrasyllus, ut Eresum oppidum, quod defecerat ab Atheniensibus, expugnaret: Thuc. VIII. 100. — Etiam post annum 427 Ephesum Atheniensium fuisse apparet e fragmento J. G. A. I. suppl. num. 272 a. Est etiam anno 416 Ephesus Atheniensium testibus [An-

---

cognovit Holzapfelius, v. e. gr. Prenzelium l. c. p. 21 sqq. Accedunt multa alia, cur librum VIII. perpolitum esse negemus. Quod iam dudum cognitum erat, Meyerus Forsch. z. alten Geschichte II. 406 sqq. negarat, quem errasse nunc demonstrat Prenzelius dissertatione citata.

18. Statuit Meyerus Geschichte des Altertums III. § 288. cf. infra disputata.

19. Hac quoque de causa Themistocles Naxii belli fere tempore in Asiam profugisse statuendus est: Thuc. I. 137.

docide] contra Alcibiad. (IV.) 30, Satyro frg. 1 Muell. (III. p. 160. apud Athen. XII. p. 534 B). Plutarch. Alcibiad. 12. (Cum anno 420 Lichas quadrigae curru vincat Thuc. V. 50, Alcibiades anno 416 Olympia vincit Thuc. VI. 16, 2, Eurip. apud Plut. Alcib. 11).[20]

---

20. Andocidis quae fertur quarta oratio neque Andocidea est neque Andocidis temporum. Anni quo Hyperbolus ostracismo expulsus est, non esse orationem solo ex anachronismo §§ 22—24 sequitur: v. Theopompum in schol. Aristoph. vesp. 1007. Pro illo Hippocrate Atheniensium praetore ad Delium victo et necato Thuc. IV. 89 sqq. Hipponicum ([Andoc.] IV. 13) errore Andocidis temporibus nominatum esse statui non potest, — praeter Hippocratem Hipponicum ad Delium praetorem fuisse statuere Thucydidis narratione vetamur; sunt incunte anno 424/23 Atheniensium praetores Hippocrates Demosthenes Thuc. IV. 89, 1 Eucles Thucydides Olori filius IV. 104 Nicostratus Nicias Autocles IV. 53. 119 et, ut verisimile est (sed cf. IV. 50), Demodocus Aristides Lamachus IV. 75; — neque ubique fere quasi criminum accusatus se defendisset de ostracismo orator Andocidis temporibus neque de ostracismo questus esset (*οὐ γὰρ τοσούτων εἵνεχ᾽ ὄστραχ᾽ εὑρέθη* Plato comicus apud Plutarch Alcib. 13), imo ostracismum magnopere laudasset, quo optime Alcibiades expelli posset. Quae cum ita sint, omnes errores, qui insunt in oratione, omniaque, quae nos offendunt in oratione, — sunt multa — accedunt, ut orationem ab Andocidis temporibus abiudicemus. Jam dudum est cognitum: v. e. gr. M. H. E. Meieri (nimis longas) commentationes opusc. academ. I. inprimis p. 150 sqq. 180 sqq. 188 sqq. 225 sqq. 241 sqq. 264 sqq. Et tenendum est, quod iam Taylorus cognovit Phaeacem oratorem in quarta [Andocidea] fictum esse: Plutarch. Alcibiad. 13. Nicias 11. [Andoc.] IV. 8 cl. Aristoph. equit. 1374 cum schol. 41 cl. Thuc. V. 4. — Quod Plutarchus Alcib. 13 exhibet *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ᾽ Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται καὶ ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ᾽ ἡμέραν δίαιταν*, non citatur [Andocidea] quarta, neque enim quarta [Andocidea] est *λόγος τις κατ᾽ Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος*, neque ut coniciamus *καὶ Φαίακος λόγος τις κατ᾽ Ἀλκιβιάδου γεγραμμένος*, insunt in [Andocidea] quarta quae inesse in libello a se citato testatur Plutarchus. Neque in vita Andocidis p. 835 A quarta [Andocidea] citatur, neque enim [Andocidea] quarta est *ἀπολογία πρὸς Φαίακα*, neque est, cur in vita Andocidis nihil nisi [Andocideam] quartam illa *ἀπολογίᾳ πρὸς Φαίακα* significari statuendum sit, cum *ὁ περὶ τῆς ἐνδείξεως* quoque in vita Andocidis citatus nobis non servatus sit, neque coniectura credibili *ἀπολογία πρὸς Φαίακα* in [Andocideae] quartae significationem mutari potest. Et quid est quod aut

Ergo Ephesus Siciliensis belli tempore ad Persas defecit neque suo loco neque in libro octavo hoc tradit Thucydides. —

Post Milesiorum rebellionem desciscunt ab Atheniensibus Lebedii et Haeraei, deinde Lesbii. (Thuc. VIII. 19. 22/23). Proficiscitur Eualas Spartiates cum Jonum exercitu Clazomenas et Cymen Thuc. VIII. 22, 1, ut Hellespontia oppida adeat, sed paullo post Eualae exercitus dimittitur: Thuc. VIII. 23,5. Si tunc Cymen expugnasset Eualas aut tunc Cymaeos abalienasset ab Atheniensibus, Thucydides id narrasset, cum bis de Eualae expeditione narret. Ergo estne Cyme anno 412 Atheniensium? Iam non est: eadem aestate 412 Astyochus Cymen adit, Cymen adeunt Peloponnesiorum Chiorumque naves Thuc. VIII. 31, aestate 411 Methymnaeorum exules cum Cymaeis militibus Methymnam Atheniensibus iterum eripere conantur Thuc. VIII. 100, neque Thuc. VIII. 31 neque Thuc. VIII. 100 Cymen ab Atheniensibus tunc aut brevi antea defecisse narratur. Ergo Cymaei quoque iam ante hiemem 413/12 ab Atheniensibus defecerant, neque eos una cum Chiis anno 412 defecisse ullo modo statui potest, cum Erythraeos Clazomenios Teios una cum Chiis defecisse accuratissime narret Thucydides.

Sicut Cymaei Phocaeenses quoque Cymaeis vicini anno 412 iam non sunt Atheniensium socii: Thuc. VIII. 31. cf. VIII. 101,2. Cymaeorum nomen post annum 421/20 (C. J. A. I. 260) in sexagesimarum titulis non exhibetur: ergo annorum 420—413 tempore sicut Ephesii, belli Siciliensis tempore ut verisimile est, Cymaei ab Atheniensibus defecerunt. Phocaeenses iam quinque lustris ante ab Atheniensibus defecisse inde verisimile fit, quod post bellum Samium e sexagesimarum titulis Phocaeensium nomen evanescit; sed sexagesimarum tributorum Jonicarum civitatum laterculi annorum

———————

corrigere volunt tradita et Plutarch. Alcib. 13 et vit. Andoc. p. 835 A, aut quod nuper Keilius anonymus Argentinensis p. 118,2 in vita Andoc. conicit *ἀντιλογία πρὸς Φαίακα* hanc *ἀντιλογίαν πρὸς Φαίακα* sicut *λόγον κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίκος γεγραμμένον* significare [Andocideam] quartam statuens aspernatus Plutarch. Alcib. 13. Nic. 11. [Andoc.] IV. 8 cl. Aristoph. equit. 1374 cum schol. 41 cl. Thuc. V. 4.

inde ab anno 439/38 nimis sunt mutili. Xen. Hell. I. 5,11 *[ἀπο]τειχίζειν* corrigendum esse apparet[21]: cf. Hell. I. 6,33.[22]

Antandrii sunt usque ad annum 427 Mytilenaeorum clientes, sunt *πόλεων 'ἀκταίων* J. G. A. I. suppl. num. 37, quas anno 427 Mytilenaeos Atheniensibus tradidisse narrat Thucydides III. 50,3. Anno 425/24 Antandrii tributum solvere iubentur. Vere anni 424 exules Mytilenaeorum capiunt Antandrum Thuc. IV. 52,3, brevi autem post aestate eiudem anni 424 Antandrus ab Atheniensibus iterum eripitur Mytilenaeis. Thuc. IV. 75. Anno 411 Antandrus rursus iam non est Atheniensium VIII. 108 neque Antandrios anno 412 aut 411 defecisse adnotat Thucydides, (Cyzicenos hoc tempore defecisse ab Atheniensibus capite antecedente notat VIII. 107.) Ergo Antandrii quoque post annum 424 ante hiemen 413/12 Atheniensibus iterum abalienati sunt. — Anno 410 Antandrus est Persarum oppidum Xen. Hell. I. 1,25 sqq.

Phocaeenses una cum Chiis anno 412 ab Atheniensibus defecisse, Antandrios una cum Abydenis anno 411 defecisse (Thuc. VIII. 61/63) per se statui posset. — Sed tam magnas civitates ut Ephesiorum et Cymaeorum (Ephesii dant quotannis tributum 7 talenta 3000 drachmarum, Cymaei 9 talenta, utraque civitas plures pecunias dat quam dant Erythraei Clazomenii Teii Lebedii Haeraei Cnidii, quos anno 412 aut 411 defecisse suo loco tradit Thucydides, ut consentaneum est,) una cum Chiis anno 412 defecisse neque uno verbo Thucydidem hoc narrasse, quamquam statim initio libri VIII. neque semel Ephesios et Cymaeos inducit, nullo modo potest statui, nam et compertum habuisset et ut homo sanus tradidisset Thucydides Ephesios et Cymaeos una cum Chiis defecisse ab Atheniensibus, si tunc defecissent. Et si Ephesios et Cymaeos iam ante hiemem 413/12 defecisse apparet, Phocaeenses quoque et Antandrios ante hiemem 413/12 defecisse statuendum est, praesertim cum Phocae-

21. correxit Holwerda.

22. Quando Phocaeenses ab Atheniensibus desciverint, nobis ignotum esse iam Busoltius adnotat philol. 41, p. 679, 20.

ensium nomen in sexagesimarum titulis anno 440/39 recentioribus non exhibeatur, Antandrios iam anno 424 per nonnullos menses Atheniensibus ereptos esse constet.[23] — Haec sequuntur de factis annornm 412 et 411 e Thucydidis silentio; alia etiam in rebus bello Archidamio exeunte gestis enarratis non sequuntur e Thucydidis silentio: nusquam ex. gr. memorat Thucydides Atheniensium expeditionis in Euboeam anno 424/23 susceptae, (rebellasse nonnullas Euboeenses civitates post pugnam Deliacam apparet,) cuius testes sunt Aristophanes vesp. 715 sqq. Philochorus schol. vesp. 718.[24]

Et Xenophon (Hell. I. 4,9) Thrasybulum anno 408 Thracias civitates, quae ab Atheniensibus descivissent, expugnasse tradit et Hell. I. 4,21 Alcibiadem ante cladem ad Notium anno 407 acceptam Andrum adortum esse, quae defecisset, narrat. E Xenophonte I. 2,4 anno 410 Notium Atheniensium fuisse versimile fit, Colophonem anno 410 iam non fuisse Atheniensium tradit Xenophon l. l. Et constat Thuc. III. 34 sexagesimarum titulis Xenophonteo loco Colophonem inde ab anno 430 usque ad annum 410 Persarum fuisse, Notium autem per hos annos Atheniensibus esse servatum.

Unde sine nimia temeritate e Xenophontis quoque silentio nonnulla concludi posse apparet, si aliunde, quae e Xenophonte sequi videantur, firmari possunt.

Anno 410 post magnam illam victoriam Cyzicenam Alcibiades vehitur cum classe Perinthum et Selymbriam. Et Perinthii Atheniensium exercitum in oppidum intromittunt, Selymbriani

---

23. Prenzelius Wilamowitzio auctore ad haec animum intendens quod in dissertat. citata p. 19, 19 iam idem statuit, quod ego quoque cognovi de Ephesiis et Cymaeis ipse quoque haec curare a Wilamowitzio iussus, gaudeo. Cnidios ante annum 412 defecisse non statuo, cum eos defecisse narret Thucydides neque iam ante annum 412 eos defecisse tradat. De Phocaeensibus quoque aliter statuendum esse atque Prenzelius iudicat, apparet.

24. Locos attulit Kirchhoffius in Tributpflichtigkeit der Attischen Kleruchen. cf. Wilamowitzium Thucydideslegende Hermae 12, p. 338, 21.

pecunias quidem dant, in oppidum suum non intromittunt exercitum Atheniensium, qui eo ipso tempore uno anno ad Cynossema ad Abydum ad Cyzicum vicerant Peloponnesios. Hell. I. 1,20, 21. Sequente demum anno 409 (maior pars exercitus Atheniensium iam obsidet Chalcedonem,) Alcibiades Selymbriam capit: Hell. I. 3,10. Selymbriae ab Atheniensibus expugnatae testis est titulus J. G. A. I. suppl. p. 18 num. 61a, in quo titulo de tributis aut vicesimis non servatum est, si quid exhibuit titulus.

Ergo ante annum 410 et Perinthii et Selymbriani ab Atheniensibus defecerant neque Thucydides neque Xenophon eos anno 412 aut anno 411 ab Atheniensibus defecisse ullo loco tradunt. E quorum silentio Perinthios et Selymbrianos iam ante hiemem 413/12 defecisse sicut Ephesios Cymaeos Phocaeenses Antandrios verisimile fit, praesertim cum in titulo C. J. A. I. 258 neque Perinthiorum neque Selymbrianorum nomen exstet neque Perinthii neque Selymbriani copias in Siciliam miserint.

Posset per se statui Perinthios et Selymbrianios anno 411 post pugnam ad Cynossema commissam ad Mindarum aut ad Clearchum defecisse; id quod statuere non vetamur titulo C. J. A. I. 258: nam titulus C. J. A. I. 261 trium tantum civitatum Hellespontiarum nomina exhibet, attamen ante annum 412 Lampsacenos Abydenos Cyzicenos alios defecisse negant Thucydides et Xenophon.

Tamen Perinthios Selymbrianosque anno tituli C. J. A. I. 258 nondum ab Atheniensibus defecisse vix statui potest, nam anno, cuius est titulus 258, ceterae magnae Hellespontiae civitates omnes tributa solvunt praeter Tenedios Perinthios Selymbrianos. Sunt magnae civitates Perinthus et Selymbria: Perinthii solvunt tributum quotannis decem talenta; Selymbriani solvunt usque ad annum 440/39 quinque talenta, deinde a Thracibus oppressi ut apparet per nonnullos annos minimum tantum tributum, (900 drachmas C. J. A.

25. Solvunt anno 426/25 (C. J. A. I. 259) Selymbriani 9 talenta tributum; cuius tributi sexagesima sunt 900 drachmae; 900 drachmas solvunt annis 438/37 et 436/35 Selymbriani, sed non hanc sexagesimam pleni tributi Athe-

I. 242, 438/37, C. J. A. I. 244, 436/35,[25]) deinde plena novem talenta (C. J. A. I. 259.) Talium civitatum aeraria anno tituli 258 ita exhausta esse, ut hae civitates tributa solvere non potuerint, ut ne promiserint quidem se mox soluturos esse, (id quod promiserunt Myrinaei Imbrii Sestii Alopeconnesii) quamquam copias in Siciliam non miserint, vix est verisimile. Accedit, (id quod per se non magni est momenti, nam tituli anno 426/25 recentiores nimis sunt mutilati,) quod Perinthiorum Selymbrianorumque nomina in titulis anno 426/25 (C. J. A. I. 259) recentioribus nusquam exhibentur, cum ex. gr. bis exhibeantur Dauniotichitarum nomen. (J. G. A. I. suppl. 272b. 272e.) Sunt Dauniotichitae Selymbrianis vicini; una cum Selymbrianorum tributo Dauniotichitarum tributum magnopere augetur anno 426/25 aut antea: C. J. A. I. 259.

Quibus de causis Perinthios et Selymbrianos iam ante hiemem 413/12 Atheniensibus abalienatos esse et e lapide et e Thucydide et Xenophonte veri fit simile, praesertim cum Thracum in Selymbriam iam ante bellum Peloponnesiacum impetus tituli testentur.

A Persarum satrapa nonnulla in Hellespontia provincia

---

nienses deae arcis dicant, imo has 900 drachmas plenum tributum habent huiusque tributi sexagesimam i. e. 15 tantum drachmas deae dicant: C. J. A. I. 242. 244. Si hoc modo illae 15 drachmae Selymbrianorum tributi deae dicatae sunt interpretandae, Athenienses his annis deae arcis dicant re vera Selymbrianorum tributi ἀπαρχὴν τῆς ἀπαρχῆς, sexagesimam sexagesimae ut ita dicamus. — Anno 428 Methonaei solvere tantum tributi sexagesimam deae dicandam iubentur C. J. A. I. 40. Sexagesimas tantum deae dicandas anno 427/26 solvunt Methonaei Haesonii Dicaeopolitae: C. J. A. I. 257. Neque quin Cerienses (C. J. A. I. 37) Singii Galaei Mecybernaei (J. G. A. I. suppl. 37) sexagesimas tantum deae dicandas solvere anno 425/24 iubeantur, dubitari potest. (De Ceriensibus iam statuit Belochius mus. Rhen. 37, 41.) Quin Ceriensium Singiorum Galaeorum Mecybernaeorum tributorum plenas sexagesimas Athenienses deae dicarint, non est, cur dubitemus, de Methonaeorum Haesoniorum Dicaeopolitarum sexagesimis hoc traditur, Selymbrianorum tributorum sexagesimas per aliquot annos plenas non esse deae dicatas miramur, negari vix potest: primis, quantum scimus, Selymbrianis sexagesimam tantum tributi solvere permittitur.

novata esse iam anno 414 aut anno 415 docet Aristophanis avium versus 1028, iam ante Mindari expeditionem Hellespontiam Atheniensium classem in Hellespontiis maribus fuisse tradit Lysias contra Eratosthenem (XII.) 42.[26]

Chalcedon anno 414 aut 413 est Atheniensium: C. J. A. I. 258. Chalcedonios non defecisse una cum Byzantiis anno 411 sequitur e Thucydidis silentio VIII. 80: Clearchus Byzantiorum non Chalcedoniorum quoque rei publicae est amicus (*πρόξενος*) Xen. Hell. I. 1,35. — Vere 410 Clearchus Byzantium et Chalcedonem mittitur Hell. l. l. (Thucydides in libro VIII. non nominat Chalcedonem, bis nominat Byzantium). Est Chalcedon anno 409 Peloponnesiorum. Ergo facta erat Chalcedon Peloponnesiorum per Clearchi alteram Hellespontiam expeditionem Xen. Hell. I. 1,35, 36, ut verisimile est. Quam Clearchi alteram expeditionem ante Cyzicenam pugnam susceptam esse firmatur eo, quod interest Clearchus pugnae Cyzicenae Diodor. XIII. 51.

Pygelenses anno 410 non sunt Atheniensium: Xen. Hell. I. 2,2 neque Thucydides neque Xenophon eos defecisse ab Atheniensibus tradunt; tamen eos una cum Milesiis anno 412 defecisse pro certo est habendum. Tam parvum oppidum una cum Milesiis defecisse Thucydides suo iure non tradit in libro VIII.

Si defecerunt aut belli Siciliensis tempore aut iam ante annum 415 Ephesii Cymaei Antandrii Perinthii Selymbriani, satis multos socios minores ab Atheniensibus belli Siciliensis tempore aut iam antea defecisse statuendum est, id quod firmat titulus C. J. A. I. 258.

Quibus de causis manifestius fit Thuc. VII. 57, cur satis pauci socii Atheniensium annis 415 et 413 in Siciliam copias miserint. Aggredi conabuntur Persae et Thraces Odrysae fortasse etiam Peloponnesii, iam multi socii Thracii defecerunt, *ἄλλοι τινὲς κατὰ τὰς ἠπείρους ἐνδοιαστῶς ἀκροῶνται* (Thuc. VI. 10,5): anno 415. Defecerunt iam nonnullae maiores plures minores civitates

---

26. Statuit hoc de Aristophanis et Lysiae locis quos attulit Prenzelius l. c. p. 20.

inprimis Asiaticae, (neque enim est, cur et Ephesios et Cymaeos et Antandrios et Perinthios et Selymbrianos anni 413 aestate autumnoque defecisse statuamus), iam pecuniae sunt exhaustae, iam adorti erant Persae Odrysaeque, certe adorientur Peloponnesii: vere 413.

Non Byzantii non Cyziceni non Chalcedonii soli Hellespontiarum civitatum Tenedii Aeolici insulani Athenienses in Siciliam secuti sunt.

Thraciae provinciae soli Aenii Aeolici milites miserunt contra Syracusanos, Jonicae continentis soli Milesii non Cnidii non Ephesii non Teii non Erythraei non Cymaei non Phocaeenses.

Unius insularis provinciae fere omnium maiorum civitatum copiae missae sunt in Siciliam exceptis Pariis Naxiisque nescimus cur, Meliis Theraeisque, quorum Melii hieme 416/15 depulsi erant de insula, in quam Athenienses colonos miserant Thuc. V. 116, Theraei Dorici certe inde ab anno 427/26 (C. J. A. I. 257) tributa voluntaria solverunt.

VIII.

supplementa.

1) C. J. A. I. 226 frg. 3 *ΙΑ[σῆς]* suppl.
2) C. J. A. I. 227 v. V. 76 *Γ⊦ ⊦ ⊦ ΙΙ Α[στυρηνοί]* suppl.
3) C. J. A. I. 249 frg. 18 *ΓΗΗ[Καλχηδόνιοι]* suppl.
4) C. J. A. I. 257 v. II. 15 *ΔΓ⊦ ΙΙΙΙ[Γρυγχῆς]* suppl.

Vita.

Natus sum **Rudolfus Dahms** Berolini die XV. mensis Septembris anno 1880 patre Rudolfo philologo matre Elise e gente Keferstein. Fidei addictus sum evangelicae. Inde ab anno 1890 frequentavi gymnasia vicorum Lichterfelde et Steglitz, inde ab anno 1894 Berolini gymnasium Ascaniense, quod tunc Woldemari Ribbeckii auspiciis florebat.

Anno 1899 maturitatis testimonio instructus studiis me dedi philologicis et historicis. Vere anni 1899 Berolini civibus academicis adscriptus sum, vere sequentis anni Gottingam migravi, ubi duo semestria versatus Berolinum redii. Tentamen rigorosum die XXVIII. mensis Julii huius anni sustinui. Scholis me docuerunt viri doctissimi Dessoir, Diels, Froehde, Graef, Harnack, Hirschfeld, Kekule de Stradonitz, Koehler †, Kuebler, Lasson, Lenz, Ed. Meyer, Paulsen, Reinhold †, Scheffer-Boichorst †, R. Schmitt, Schmoller, W. Schulze, Stumpf, Vahlen, Weiss, de Wilamowitz-Moellendorff Berolini; Baumann, Busolt, Kaibel †, Leo, Roethe, W. Schulze Gottingae. Ad proseminarium philologorum Gottingense per duo semestria benigne aditum mihi praebuerunt Kaibel, Leo, Wentzel; Berolini et Vahleni exercitationibus in seminario philologico habitis per duo semestria interfui sodalis extraordinarius, et proseminarii philologici primi ordinis qui vocatur Dielsio, Heinzio, Wilamowitzio moderantibus per quattuor semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea ad exercitationes me admiserunt grammaticas Helm, W. Schulze; historicas Busolt, Krauske, Hirschfeld, Ed. Meyer, Scheffer-Boichorst; epigraphicas Dessau; philosophicas Lasson, Paulsen.

Viris qui me docuerunt omnibus debitas gratias refero, inprimis autem gratiam habeo semperque habebo Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff et Eduardo Meyer.

Denique Gottingensium philologorum thiasi et Berolinensium philologorum societatis academicae amicis magna me debere gratus profiteor.

Retain Feb. 24th

Return Mar. 4th

